



ORATIO FUNEBRIS. 11

De Generosi & Nobilissimi Domini
JOHANNIS HEINRICI à FEIL Itsch, &c
vitâ, atq; morte;

Ad

Generosum item, Strenuum admo-
dum & Nobilissimum virum, Dominum

URBANUM CASPARUM

à Feilitzsch, in Kürbitz, Fürba, Schwerzenbach, & Isar,
Consiliarium intimum, & Cancellarium, juxtâ
atq; Prætorem Feudalem Brandenburgi-
cum, piè defuncti, afflictissimum
PATREM.

Scripta

à

Christophoro Agricola, Equite Au-
rato, Comite Palatino Cæsareo, Consulario
Brandenburgico,

*Subjècta sunt Excellentissimorum quorundam Virorum,
atq; amicorum EPICEDIA.*

Typis excusa Norimbergæ, apud Jeremiam Dümmlerum.

Anno

SangVINIs effVsVM fatIs est, ConlVnglte DeXtras.

/ von
n ihrer



LECTORI.

Qui neget officium perfunctis munere vitæ,
Justaq; non dignis persoluenda viris,
Hunc ego inhumanos longè superare Tomitas,
Ac natum scopulos inter & ossa putem.





SALUTEM, ET SOLATIUM:

Generose, Strenue admodum

& Nobilissime Domine Cancellarie, Com-
pater, atq; Fautor colendissime;



mnium habetur opinio-

*ne Sapientum certum, Literarum monu-
menta, quæ virtutes Magnatum pariter
& res gestas memorie consecrant, longè fa-
cienda esse pluris, quàm omnes, vel Apellis tabulas, vel
Lysippi statuas, à quibus tamen artificibus pingi solis sese
fingiq; Alexander Magnus jubebat.*

*Hæ enim pauculos intra annos situm contrahunt, ca-
riem sentiunt, fumo sordescunt, à tineis exeduntur, ac
ardentibus sepe numero imponuntur foculis, aut obscuros
in areæ conjiciuntur angulos, qui reulas quasq; recipiunt
vilissimas.*

*Illæ verò si quid genii habent & ingenii, contrahere
senium, absumi flammis, vetustate obsolescere, vel
aliis perire casibus nunquam possunt, Hinc Atheniensium
de adornandis ritè decenterq; sepulchris licet summoperè
commendetur institutum, ac sollicita aliarum gentium*

populorumq̄, inter quos non omnem prorsus virtutis amo-
rem sustulit barbaries, in erigendis publicè & privatim
de se benè meritorum statuis, picturis, obeliscis, mauso-
leis, concelebretur cura: Nihil tamen quicquam, omnes
inter rationes, quibus res Majorum suorum præclare ge-
stas ad immortalitatem usq̄ propagare adamârunt ve-
teres, perplacuit unquam magis, quàm *ἠπιτάφιοι λόγοι*, &
orationes, panegyricæ in laudem defunctorum, famamq̄
illorum ab oblivione vindicandam, solenniter institutæ.
Id quod in ipsâ veteri adhuc caligine, minùs tum tempo-
ris exculti perspexerunt benè homines Dani: Quùm enim
sine Filio & successore Frontonem Regem, cuius virtutem
& merita incredibili prosequerentur desiderio, communis
fati lege amisissent, quò eternis amissum decoribus & or-
namentis cælo assererent, Successionem ei decreverunt, qui
defunctum summis ac omnium maximis honoribus affecis-
set: Sed ecce quando jam certatim statuas cæpissent ex-
truere & cippos, mausolea ponere, erigere colossos, mar-
mora exsculpere, nec non auro simulacra & imagines fin-
gere, unus ex omnibus, HIARNUS nomine, mediocris
quidem fortunæ, sed singularis homo ingenii, demortui
Regis laudes sermone complexus (ligato solutove vix con-
stat) omnium iudiciò, & honoris palmam, regniq̄ depor-
tavit diadema; eò quòd in saxis nihil diuturnum, nihil
in marmoribus, nihil in sculpturis stabile validumve,
nihil ullo tandem in metallo consisteret perpetuum; sola
verò

verò orationis atq; scriptorum gloria, omnis metam su-
peraret etatis: Judicium meherculè sempiternà dignum
posteritatis omnis memoriâ: Quorsum enim, quorsum in-
quam, veteres illæ Aegyptiorum, quibus tamen olim ulla
vix legibus gens & doctrinâ comparari valebat, pyra-
mides? Quorsum Mausolea Artemisæ? Quorsum ma-
gnificæ illæ tam Græcorum, quàm Romanorum statuæ?
ac sumptuosi cælo erecti abierunt obelisci? Numquid in-
cinerem earum omnium versus rerum splendor & ad-
miratio? quarum nisi literis conservata foret antiquita-
tis memoria, ne nomina quidem hodiernis cognita essent
seculis.

Atq; Hannibalis etiamnum si reperisse liceret effigiem,
homo fortassis oculis subjiceretur nostris, gracilis & maci-
lentus, fuscus, crispus, & luscus, cujus nudus solùm fa-
mam imminueret immortalẽ aspectus. Undè liquet,
nihil cum literarum honore, nihil cum scriptorum monu-
mentis equiparari posse, neq; debere.

Quandoquidem verò virtutibus omninò defuncto-
rum debeamus, ut non præsentem solùm illas, sed etiam è
conspectu ablatas nostrò, piè decenterq; colamus, non sine
ratione Romani veteres, ejuscemodi, quæ demortuis vel
ad eorum cohonestandas exequias, vel concelebrandas
laudes præstita sunt officia, *IUSTA* appellarunt, quòd
justè meritoq; fierent, sive justè impenderentur mortuis,
quos propter virtutes, præclaraq; facta venerari consue-

vimus vivos, eorum post fata, gloriam condignis laudibus & recordationibus piis, veluti rore conservemus quodam asperso viventem.

Quamvis non negem, multa ad pompam, multa ad ostentationem invenisse haud raro adulationem, imò justa saepe aliis injusta esse persoluta. Non itaq; audienda improba illa proterva natura foemina apud Comicum, minus vero ipsius approbanda aut imitatione consecranda sententia, dicentis, dum vivit, hominem noveris, ubi mortuus est, quiescas.

Quae enim non dicam inhumanitas, sed enormis esset ingratitude, memoriam nostrum in vita charissimorum cum corporis sepelire exuvias, inter efferendum profusissime flere, meminisse postea nunquam; ita aves, ita ferae suos diligunt fetus, quorum concitatus est amor, & penè rabidus, sed cum amissis extinguitur totus.

Aliud, longè inquam aliud merentur excelsi animi, qui omnium velut templa quaedam & virtutum quum fuerint domicilia, postquam soluti corporum vinculis, publicis non solum laudum encomiis à posteritate mantentur, verum ad imitandum, etiam iis, quorum vita genus id efflagitat, sedulo proponantur. Sic Rex & Propheta David funestum Saulis & Ionathae interitum acerbè deploravit, multisq; ad caelum laudibus extulit; Sic Iosiae piissimi vitamq; longeviori, ac imperio dignissimi ulteriori, sagittis ab Aegyptiis confixi fanus non ipse solum Propheta Jeremias lugubri

bri cohonestavit carmine, sed nemo ferè non itidem fuit, qui non suas optimi Regis cineribus lachrymas, eternâ cum ejus laude misceret.

Sic Aegyptii, sic Gallatæ, sic Indi, sic Græci, Pericle sive ut alii malunt, Solone, sic autore Valerio Poplicolâ, Romani, sic veteris Ecclesie Antistites, sic Patres orthodoxi, sic alii boni multi, bonos viros & præclare meritos exquisitissimis post funera profecuti sunt honoribus, sic Maximus, qui Scipionem pro funere supremo ut hominem commendavit divinum, ipsemet præ cæteris unus, intestino ex filii funere affectus dolore, oratione non infractâ tamen, ad populum, ipsius magno spiritu disse-ruit laudes.

Ab his igitur omnibus nihil alienum, nihil novum, nihil insolens, quin imò Te dignum facis, Generose Domine Compater, quòd charissimi FILII tui ex asse unici, ex nunc beatissimi, non saltem imaginem in adibus & pinacothecis ubiq; tuis depictam, æneis incisam tabulis extare, monumentum ipsius magnificè condecorare, verùm ejus virtutes, etiam occasione collectorum hinc inde ab amicis, bonis doctisq; viris, Parentalium, literis mandari, atq; hâc ratione illius memoriam à secuturi temporis injuriis & oblivione vindicare, pariter & mærori mederi quodammodo ac dolori justissimo tuo volueris.

Inter tot verò tantosq; viros disertos atq; præclaros, pietatem qui suam, studiumq; erga te, scriptis contestatum
veni-

Veniunt egregiis suis, EGO, qui dicendi facultate quidem lubens ac volens omnibus, referenda autem gratia, ac obsequium præstandi voluntate nemini cedo, ultimus esse neq; debui, nec postremo consistere loco volui, qui inter primos acceptorum beneficiorum debitores computari facile nec sine ratione possum; Verùm in hac Oratione Panegyricâ, sicubi industria & imbecillitas mea frustrabitur laude H I A R N I nostri, & approbatione sapientissimâ tuâ; attamen-

Feci, quod potui, potui quod CHRISTE
dedisti,

Improba fac melius, si potes, invidia.

Quibus vale, luctum moderare tuum, atq; vive DEO, vive Patriæ, vive Principi nostro, vive Tuis, vive mihi & meis, annos Avi tui Urbani centum, & feliciter: Norimbergæ, animo, dolore tuo itidem impedito, Kalendis Januariis Anno 1636. Cujus ingressum, progressum, regressum Tibi, tuisq; ut mihi, atq; meis, longè felicissimum devotè comprecor.

In sincera ovta Deias testimonium,
justissimi luctus moderationem,
efficacissima consolationis votum,

Scripti,

CHRISTOPHORUS AGRICOLA, Autor.

ORATIO FUNEBRIS.

EPAMINONDAS NOBILIS ILLE
Thebanus, maximis pro Patriæ salute ac li-
bertate rebus, & quidem feliciter gestis, in hæc
aliquando erupisse fertur verba:

Hunc se præcipuum vitæ atque
actionum suarum capere fru-
ctum, quòd Parentes adhuc vi-
vos, & suarum habèret virtu-
tum gloriæq; spectatores;

Exemplum, Auditores omni laudum gene-
re cumulatissimi, φιλοσοφίας singulare, hominis
præsertim Ethnici, cæterum civis & viri boni,
deq; suâ Patriâ, cum vitæ discrimine, & sangui-
nis etiam profusione, optimè meriti, à Xene-
phonte, post alios, mirum commendati in mo-
dum; Cujus tamen animum fallaci velut som-
nio elusum vivificæ ignorantia veritatis, & cali-
go divinæ exercuit sapientiæ.

Indidit namq; Deus omnipotens pro divi-
nâ

B

nâ

nâ suâ sapientiâ incomprehensibili, humano ge-
neri *σφραγὶς*, ut non solum essent intrinsecæ, de in-
genti suo erga nos paterno amore, commone-
factiones, verum etiam arctissima humanæ
conservandæ vincula societatis.

ut verò in optimis quibusq; naturis atq; item
excellenteribus, *σφραγὶς* multò sunt expressiores;
Ita extradubitationis versatur aleam, omnes
etiamnum mentes bonas, consimiles pietatis
atq; amoris flammæ, erga suos in vitâ charissi-
mos, in intimo cordis circumferre thalamo.

Vivum hujus ecce propositionis meæ, vo-
bis, argumentum atq; illustre:

Epaminondas, inquam, **at chri-
stianissimus noster**, (qualis enim Ille
suæ, Hic, nostræ hætenus verè extitit undiquaq;
conturbatissimæ, proh dolor! Patriæ) **Ge-
nerosus & Strenuus admodum,
juxta atq; Nobilissimus Domi-
nus URBANUS CASPARUS
à FEILITSCH**, in Kürbitz, Firba,
Schwerzenbach & Isar &c. Serenissimæ domus
Branden-

Brandenburgicæ Consiliarius intimus, Cancellarius, & Prætor item Feudalis eminentissimus, Vir omni cõmendatione major, Dominus, Favor, & Compater meus colendissimus, PATER (cheu!) mæstissimus unici ex asse filii, ah quondam filii charissimi JOHANNIS HEINRICI, (cui nunc sua exequor JUSTA) è medio nostrum si esset, suiq; vulnerati effunderet liberè pectoris latebras, indubium est, quin idem cum Thebano illo constanter affirmaret, Se nullum hisce in terris rerum cum laude & Patriæ utilitate gestarum expetiisse fructum alium, quàm si FILIUM unicuin desideratissimum, laudabilium, in Rempublicam communem, actionum suarum spectatorem juxta atq; æmulum post se in vitâ reliquisset.

Etsi enim optimo cuiq; rectè factorum fructus unus esse debeat, FECISSE, ac præstantibus magna & præclara, solùm conscientia bonæ præmium satisfacere potis sit; à gloriæ tamen studio, nemo tam aversus est, aut à semetipso tantum distat, qui laudis mercedem à suâ posteritate (quæ decus cuiq; suum ex merito rependere tenetur) avidè non expectet, atq; suorum ut bonorum, ita & heredem virtutis exoptet habere.

Hâc quippè spe sustentati nos omnes & sin-

B 2

guli

guli ad sustinendos Reipublicæ labores, curas,
atq; vigilias tantò quot diebus consurgimus a-
lacrius.

Hinc ingensex historiis omnium nationum
pariter & ætatum recenseri posset catalogus,
(hujus si esset loci,) excellentium qui unquam
vixere, & virorum illustrium, quantumvis per
cætera felices, hoc tamen qui se longè metipso,
aliis habuere infeliciores, quòd arbor ipsorum
nullas repullulantes aluerit frondes, sed quòd
turbato (proh!) naturæ ordine, Parentes visceri-
bus suis (ò miras, miras inquam, humanæ perio-
dos vitæ, atq; catastrophes) posthumi, ac cordi
suo fuerint superstites.

Et quemadmodum Sapientissimus Maximilianus,
huius nominis Primus Imperator, sæpè
conquestus esse legitur, sui ævi atq; nationis Ger-
manicæ infelicitatem, quòd cùm Principes ge-
nuisset sapientiâ, virtute, & rebus gestis non in-
feriores Græcis & Romanis Ducib⁹, tamen simi-
lis eloquentiæ lumine res ab eis actæ non essent
illustratæ; Sic illi cum gemitu querulam Patriar-
chæ Jacobi versabant jugiter vocem, miseros se
tristesq; ad Patres descendere suos, eò quòd su-
perviventes ipsi, sepelierint eos, in quibus spes &
expectatio certa, fixaq; fuerat consolatio, a vitæ
virtutis

virtutis atq; paternæ æmulos illos aliquandò so-
lertissimos, & tam ad Ecclesiæ propagationem,
quàm Reipublicæ conservationem, divino qua-
si afflato Spiritu, incitadosq; , certò profuturos,
diutius sicubi superstites fuissent.

E quorum quum pariter fuerit numero, virtu-
tum gloriâ, hominum amore, fortunæ favore,
quousq; floruit (atq; utinam hodiè floreat!) Flos,
ah! quondam flos juventutis, cum honore præ-
fatus noster, Generosus Dominus JOHAN-
NES HEINRICUS à Feilitzsch, (cujus anima in
altissimo exnunc requiescit æternitatis sinu) ja-
ctura eò gravior, eò dolor acerbior, eò luctus
copiosior afflictissimi Domini Patris, ut extincto
tanto Filio, vitam nunc vivat in vitam, penè non
vitam, in angoris & tristitiæ sensum vivat.

Ego verò abundè habeam, quòr subdubitem
ad lugendum nè magis beatè defunctū FILIUM?
an ad condolendum piè? ac consolandum sa-
pienter Dn. PATREM mea dirigatur oratio?

Fateor equidem ingenuè, verba deesse mihi,
quibus, & *συμπάθειαν* exprimam meam, in hoc le-
tissimorum hominum confessu, velut am-
plissimo Memorix Theatro, perpetuæ Famæ
consecrato, inq; publicâ hâc præmaturi ad-
modum obitus significatione, quâ annos
quidem juvenis, quâ virtutes verò & pruden-

tiam viri Dn. JOANNIS HEINRICI nostri,
quem non ita pridem destruens omnia, ac undè
edidit, eòdem revocans naturæ necessitas ab hâc
terrestri labe sejunxit, & cum purissimo illo
coelestium animarum consociavit cætu;

Quibus item laudibus in hâc mei egestate
sermonis, bonisq; recordationibus, vitam, virtu-
tes, mortem, condignè prosequar; Quibus tan-
dem, mæstissimos Dn. Dn. PARENTES, effi-
cacissimi erigam solatii levamentis; quùm diffi-
cilius nihil sit, quàm magno dolori paria reperi-
re verba.

Utinam enim atq; utinam liceat mihi sacri
honore silentii obsignare luctum præsentem, ad
illius exemplum Pictoris, qui obumbrasse dici-
tur velo, quod exæquare penicillo desperabat,
non tantus subiret animum metus, minus fu-
turum, quicquid dixerim.

Verùm ut nævum simul defugiam ἀχαρισίας,
circa hoc veneratio mea atq; obsequium erga
utrumq; Parentum (quibus sacro illo συγγενίας
vinculo, quam ita Græci, sequioris ævi, nostri
verò, nescio quàm benè, compaternitatem vo-
cant, hocce posthumæ pietatis officium atq;
mea debeo omnia) eloquentiæ vicem obtine-
bit, mæroriq; imputabitur, si quando rebus de-
erunt

erunt ubiq; verba immensis, & doloris modum
excedentis magnitudo, verborum delectum
eripiet, atq; vocem nonnunquam ipsam inter-
cludet.

Antè verò quàm, cum incomparabili utri-
usq; dolore Parentis congreddiar atq; conflagam,
liceat mihi vestrà, Auditores, pace, quædam de
illustribus Natalibus, atq; vitæ, eheu, perbrevis
quidem, at summâ cum laude actæ, Beati nostri
curriculo, attingere & commemorare obiter;
circa quæ, nescio difficilius sit principium inve-
nire, quàm servare modum, aut orationis
evolvere exitum.

Ut igitur ab illâ felicitatis parte, quæ prima con-
tingere hominibus solet, meam hanc exordiar
telam, natus est, Beatus ille, quò de nunc dicere
mihi votivum, in mundum, mundum inquam,
immundum, vel potius inundans malorum di-
luvium & calamitatum hoc mare, duodecime-
simo Augusti die; Atq; renatus, nec non indivi-
duæ TRINITATI, in sacro oblatus baptismo,
subsequenti die tertio Septembris, in arce avitâ,
& per vetustâ stemmatis domo, Kürbitz; Chri-
stianorum Epochæ, supra sextum decimum se-
culum, anno octavo, quò adhuc quidem, cum
Nati, tum nostra, in universum, Patria secundis-
simo

fimo fruebatur impetu felicitatis, ac plenissimis
ai m p n e d s ferebatur velis, altâ in pace, altâ in luce,
altâ in quiete ac tranquillitate.

Imperante scilicet adhuc Divo Rudolpho
secundo; ast virtutibus summo Principe dignis,
tùm PACIS præcipuo in Germaniâ conservan-
dæ studio nulli antecessorum secundus, sæpèq;
ex avi sui Ferdinandi, hujus nominis primi, sen-
tentiâ professus qui fuit, inter summa divinitus
in Imperii gubernatione sibi concessa beneficia,
firmo animi iudicio, primum atq; maximum
fese ducere, ut pacificè imperaret.

Verùm, ut valetudinem Medici extremè bo-
nam, periculo alicui suspicantur sæpe esse confi-
nem; ita plerumq; in Regnorum ac Imperio-
rum corporibus extimescenda tum maximè
adversa & lethalia quævis arbitrantur, quando
uberrima rerum seges luxuriat ubiq; prosperi-
marum.

Quàm horribiles enim turbæ, ac assidui fe-
rè bellorum æstus, Nati nostri Patriam concuf-
ferint deinceps? & in præsentem ecce diem?
quam plagam non Vodlandiæ solùm, sed toti
Imperio cœlestis manus impegerit? quæ tela
in omnium Ordinum atq; Statuum populos
(eheu) contorserit? & meminisse animus horret,
omni Audito.

Auditores, & titubantibus exequi verbis, pa-
rùm omnibus in proclivi.

Natus, inquam, Noster, rerum in Patriâ sum-
mam gerente Serenissimo Principe ac Domino,
Domino CHRISTIANO, Marchione Bran-
denburgico, Prussiae, Stetini, Pomeranorum,
Cassubiorum, Vandalorum, Croſnæq; ac Car-
noviæ, in Silesiâ Duce, Burggravio Norim-
bergensi, Principe Rugiæ, Domino nostro cle-
mentis^o; De cujus Celsitudinis in dulcissimam
Patriam nostram, non minus, quàm suos erga
subditos studio, curâ, atq; vigilantia, nec non
meritis verè paternis, ab eò, quò gubernatio-
nem aggressus est, imprimis verò illo tempore,
quò, in Bohemiâ bellum illud detestandum ex-
ortum, quod tandem, in Civile (eheu!) exar-
sit, & non Germaniam tantum nostram, sed
universam ferè Europam commovit, imminuit,
exhausit, nihil hîc commemorare præsumo;
quandoquidem in singula inquirere, & per-
censere saltem ea numerando, ne dùm dicendo
exornare si vellem, citiùs me dies, quàm oratio
deficeret; Provoco verò ad testes omni exce-
ptione superiores, ipsummet Imperatorem, glo-
riosissimi regiminis, Ferdinandum II. nostrum,
ad Electores, cæterosq; Imperii Principes atq;
ordines

C

ordines, quâ videlicet sollicitudine, quâ fide & prudentiâ, Celsitudo sua illustrissima salutem publicam promotam, Imperii majestatem assertam, molitiones turbulentas everfas, bellaq; civilia atq; intestina repressa voluerit; immortalitatem cum optimo Príncipe nostro merebitur, qui historiam, (historiam, inquam, cujus anima veritas, ut legis, ratio est,) aliquando, eâ de re, sincerè & sine affectu scripserit, nihilq; nisi rebus addiderit verba;

Ac eo ipso, natus Beatus, anno, quô Ratisbonæ, (ah quantum hæc Rerum publicarum Germaniæ antiquissima civitas, eheu! nunc est mutata ab illâ!) Januario Mense, celebrata sunt comitia, locum Divi Rudolphi Imperatoris tenente, Domino FERDINANDO, fælicissimæ recordationis, nostro secundo; quô eodem anno, & mense, Wirtenbergicus Dux Fridericus, suæ satisfecit naturæ, relictis successore Johanne Friderico, & sex filiis post se, in vitâ, quorum eccè omnium nunc memoria in benedictione: Quô item anno, Aprili mense, Matthias Archidux Austriæ, contra Fratrem Rudolphum, armatâ penetravit manu Boëmiam, ac obtento diademate regio, post, Jaurini, coronatus Rex Hungariæ, nono die Novembris;

Quô

Quò item anno, Julii die duodecimo, fatis
cessit Serenissimus Elector Brandenburgicus,
Joachimus Fridericus, ætatis suæ anno Sexage-
simo secundo;

Quo tandem anno (filum ut abrumpam,
ne Chronicon texere videar.) Conventus age-
batur mense Decembri, in florentissimâ præ-
ter cæteras, Norimbergensi Republicâ (quam
summus rerum omnium Moderator, deinceps
quoq; servet semper florentem & incolu-
mem) quorundam Principum, Ferdinandi
Coadjutoris Archi-Episcopatus Coloniensis, &
Alberti Fratris, Bavariæ Ducum, nec non Celsif-
simi, cum fratre, Principis Dn. JOACHIMI
ERNESTI Marchionis Brandenburgici;

Cujus Celsitudinis præmatura etiamnum do-
lenda mors, non minus, quam pro Religione-
& Patriâ fortiter, ad extremum usq; Spiritum
dimicantis, & in ipso juventutis flore, eheu! oc-
cidui Filii primogeniti, & ad summa quæpiam
nati (ah! deficit animus, lingua, & oratio,) Illu-
strissimi Domini Friderici, alio loco, & tempo-
re nobis condignè lugenda.

Verùm, ut eò revertar, unde paulisper digres-
sus sum, neq; Genituræ quidem schema Nati
sollicitè inquirendum, neq; syderum vis

aut naturæ & fatorum mirifica scrutanda arca-
na; quamvis in aprico sit, quæ de cæli ac divi-
næ providentiæ penetralibus oriuntur bona,
acriora & vividiora meritò existimanda esse.

Nec in Patriæ, quæ Nostro contigit Vod-
landia, collaudatione, instituti mei est, hîc
quemquàm morarier;

Licet si cui libéret mecum in hunc concele-
brandæ illius campum excurrere, posset uber-
tas materiæ, cum quantâlibet styli fæcundi-
tate certare.

Ut enim hâc in parte facilè adstipuler Euri-
pidi, τῷ εὐδαίμονι πρῶτον τὴν πόλιν εὐδόκιμον ὑπάρξαι: Id est
Beatè victuro, ante alia, Patriam gloriosam esse:
Sic fortuitum arbitror, illustri nasci Patriâ:
Quia Madaurenfi monente Philosopho;

Non tam ubi prognatus, quàm moratus
quisq; sit, spectandum; nec quâ regione, sed
quâ ratione vitam vivere inierit, consideran-
dum sit:

Quùm etiamnum fieri possit, ut apud so-
cordissimos Scythas sapiens Anacharsis, & apud
Athenienses catos, Melitides fatuus in lucem
producat.

Nec enim Nativitatis locus ultra æstimari,
vel ad gloriam verti, nisi ab his ferè solet, qui,
quod

quod in se non inveniunt, aliundè petunt, ac
veræ propriæq; laudis inopiam, ascitiorum
ornamentorum cerussâ qualitercunq; tectam
abscondunt.

Non ita Beatus ille noster, quem propria
décora sic exornârunt, ut quicquid fuit hoc,
quod circa eum ex adventitio videbatur fulgê-
re, in subsidium vocari laudis, nihil omninò
sit necesse.

Mittamus ergò Patriam, ab aliis suo loco
præsertim inter cætera, ob fluminum quatuor
navigabilium, quæ indè scaturiunt, celebra-
tem, & voce monosyllabicâ, M E N S, vulgò
comprehenduntur, abundè comendatam, cui
haud scio, plusné splendoris acceptum ferre No-
ster beatè defunctus, quàm imputare debeat.

Id verò non extremo laudis gradu reponen-
dum putem, Beatus quòd noster, originem tra-
hat suam, ex FELICIUM illustri illâ & perve-
tustâ familiâ Romanâ, nulli, quæcunq; tandem
sit, quæ unquam partim olim in Italiâ, partim
hâc ætate, in Germaniâ floruit nostrâ, ob vir-
tutis gloriam longè lateq; diffusam, & crudi-
tionis præsertim, (quæ huic familiæ multis ab
hinc seculis, quasi propria & peculiaris, præ cæ-
teris fuit,) rerum etiam præclarè gestarum ma-
gnitudinem, secundâ;

FELICES enim nostrates sive Feiltichios
Vodlandicos, Patriâ non Germanos, nec Hene-
tos, sed Romanos genere & origine Nobiles &
clarissimos esse, nobilitatis suæ hausto fonte, or-
tuq; tracto ab antiquissimis, qui quondam in
urbe Romanâ, FELICES dicti, Nobilibus, Stir-
pe atq; sanguine FABIORUM familiæ illustri-
simæ ac celebratissimæ proximi fuere, publicis
ex historiâ ac literarum patet monumentis.

FELICIS, Judææ Præfecti, quem Claudius
Imperator, Hierosolymam miserat Româ, Di-
vorum Apostolorum temporibus, ad coërcen-
dos Judæos, meminit cum encomio, Evange-
listâ Lucas, in Actis;

Et post Josephum, Eusebium atq; Cornelium
Tacitum, scribit Raphaël Volaterranus, quadra-
ginta martyres, ex hac nobilissimâ familiâ na-
tos, pro Domini & Salvatoris nostri JESU CHRI-
STI, ejusq; verbi divini confessione, sanguinem
fudisse Romæ, Pontificibus ibidem in eos
atq; item alios doctrinæ salvificæ confessores,
fune, ense, igni crudeliter sævientibus: Id quod
in hodiernum usq; diem confirmat quod-
dam Romæ cæmeterium, BASILICÆ FELICIS, à
fundatore sic cognominatæ, in viâ Ardeatinâ,
contiguum.

Præte-

Prætereà, ex certaminum, ut vocant, seu lufuum Trojanorum libro constat, FELICES nostrates Vodlandicos, exactis abhinc seculis multis, lufus adiffie Trojanos; At verò nobilium nullus ad ejuscemodi lufus, seu certamina admittebatur Trojana, nisi qui quatuor atavos recensere ac probare potuerat; Id quod à nostris FELICIBUS abundè atq; adeò præstitum legitur, ut ipsi in quatuor lufibus Trojanis, cum honore non recepti & admissi solùm, verùm etiam eorum probationes justæ ac sufficientes, citra contradictionem ullam, fuerint approbatæ.

Unde colligitur nobilissimam FELICIANAM familiam demonstratâ, Atavorum origine, supputatisq; seculis, tempore primitivæ Ecclesiæ, in Italiâ, & præcipuè quidem Romæ, maximis honoribus, gloriâ, & autoritate claruisse.

Quippè ex hâc antiquissimâ familiâ, velut ex equo Trojano, prodiere non olim solùm Regionum & provinciarum maximarum Gubernatores & moderatores, qui Cæsarum Romanorum, & postea Germanorum aliquot temporibus, consueto nomine, Præfecti nuncupari solitabant; verùm etiam Pontifices, FELICES dicti, quinq; ;

Quorum Primus, Imperatore Gallieno, Alter

Juliana o-

Juliano Cæsare, homine, (secundum Nazian-
zeni sententiam dicentis, ô quantam pestem
Monarchia Romana nunc alit,) hominum,
quos unquam terra sustinuit, pessimo ac per-
ditissimo; Reliqui verò tres Aureliano, Justi-
no Seniore, & Alberto Austriaco Imperatori-
bus, pontificatum obiêrunt, & aliquot qui-
dem seculis, ante Sergium ejus nominis secun-
dum, qui, Platinâ, post alios, autore, ob no-
minis sui (quod os porci malè sonabat) de-
formitatem, primus ex Pontificibus suum
commutavit cognomen, quod hîc monen-
dum brevibus fuit, ne quis putet, FELICIUM
nomen ascititium, supposititiumvé, sed verum
propriumq; esse.

Quod, procul dubio, rationis est, quòr quar-
tus decimus Januarii dies in Calendariis, FE-
LICI assignatus fuerit, ut is, quot annis, in
Papatu dicti FELICIS memoriæ recolendæ
gratiâ, peragendis rebus sacris dicaretur; quod
nominis, multis antè seculis in Calendarium
illatum fuisse, Cifiojanus locuples esse testis
potest:

Quò verò tempore, FELICES illi vetustissi-
mi Romani Nobiles, ex Italiâ, sede patriâ &
avitâ relictâ suâ, migrârunt in Germaniam di-
versæ

versæ licet scriptorum opiniones sint atq; sen-
tentia, cum quidam Drusi, nonnulli Caroli
Magni, alii Henrici Aucupis, non nemo Pa-
schalis Papæ hujus nomenclaturæ secundi, æta-
te; aliqui in fugam Petri de Columnâ, transla-
tionem ex Italiâ in Germaniam, illius, atq; a-
liarum complurium, earumq; nobilissima-
rum familiarum, incidisse autument; nec desint,
qui FELICES seu FEILSCHIOS nostrates, cum
Illustribus Dominis Ruthenis Baronibus ex
Columniorum celebri oriundis familiâ (qui-
bus Vodlandia ab Henrico Aucupe gubernan-
da credebatur) suas, in utroq; tractu Vodlan-
dico, figere sedes cæpisse; alii ab Henrico ejus
nominis quinto, vel ab ejus successore Lotha-
rio Saxone, possessionibus aliquot caducis &
vacuis ex gratiâ impetratis, in Vodlandiâ con-
sedisse scribant: Nobis tamen abundè suffice-
re debet, quòd de honoribus hujus FELICIA-
NÆ familiæ concelebratissimæ, de dignitati-
bus, ornamentis, autoritate item & existima-
tione, non in Vodlandiâ solùm, sed per uni-
versam Germaniam, æquè ut olim, in Italiâ testi-
monia ubiq; præsentem usq; in diem prostent
illustria. Documentorum instar esto omnium,
unum illud Divi Lutheri, de FABIANO Feiltschio
D quod

quod legitur tomo quinto Jenensi, fol. 180.
& tomo sexto fol. 140. & item alterum ac qui-
dem honorificentissimum Ferdinandi Impe-
ratoris primi iudicium de Philippo à Feilitzsch
in *Sachsengrün* / quem ita amavit, ut præter-
quàm ei copiam ac potestatem sui conve-
niendi liberam, eamq; facilem quòd daret,
aditumq; ad mensam Regalem permetteret
(quod & paucissimis & rarissimè contigit)
Augustæ Vindelicorum sub comitiorum
ibidem à se habitorum finem; dignissimum
cum primis iudicaret, qui deliberationibus
& rebus, ad totius Germaniæ salutem ac in-
columitatem spectantibus adhiberetur, tùm
etiam de factis insignibus, & ex his impri-
mis, de clade Ungaricâ, quâ Ludovicus Rex
succubuit, suismet literis, Linziorum Superioris
Austriæ Metropoli, adverteretur;

Inter prætereunda verò reponi non de-
bet, quòd multis ab hinc seculis, Illustris-
simæ & quidem præcipuæ Germaniæ nostræ
familiæ ac Domus Principales pleræq; usæ
fuerint feliciter, FELICIUM horum operâ,
sapientiâ, auxiliis & consiliis, belli, pacisq;
tempore, in gravissimis gerendis negociis, in
obeundis

180.
c qui-
Impe-
eilitsch
ræter-
onve-
daret,
tteret
igit)
orum
num
nibus
ic in-
tüm
mpri-
s Rex
rioris

n de-
ustrif-
ostræ
usæ
perâ,
cisq;
is, in
andis

obeundis Legationibus, in comitiis, aliisque
conventibus publicis infinitis;

Et inter potentissimos quidem Imperato-
res, Maximilianus primus, Carolus quintus,
atq; hujus Frater & in Imperio Successor Fer-
dinandus primus:

Inter Bohemiæ Reges, Uladislaus; Palati-
nos inter Electores, & Principes, Otto Hein-
ricus, & Fridericus; Johannes Casimirus, Ru-
pertus, Otto Henricus, & Philippus;

Inter Electores item Saxonicos, Fridericus
cognomento Sapiens, (cui diadema Impe-
rii atq; sceptrum, unanimi Electorum suffra-
gio, secundum Sleidanum, oblatum, sed ex
modestiâ renutum, hincq; Carolo Austriaco
Hispaniarumq; Regi collatum fuit;) Johannes,
& Johannes Fridericus Principes Principibus
Græciæ in administrandâ justiciâ pares, pieta-
te verò, religione, fide, ac constantiâ multò
superiores, publicæq; dignissimi præconio
famæ; Augustus pariter re & nomine Augu-
stus;

Inter Marchiones autem Brandenburgi-
cos, Fridericus, & Filius ipsius uterq; Johan-
nes videlicet, ac Fridericus, Casimirus item,
Georgius, Fridericus, Sigismundus &

Albertus, qui ob fortitudinem heroicam, & rerum bellicarum magnitudinem, Achilles meruit dici Germanicus; Tandem, & qui primo appellari loco debuisset, CHRISTIANUS, Princeps verè Christianus & Dominus noster clementissimus, ne pluribus ut quidem debèrem, quibus verò longè superior est, Optimum Principem, ac Patrem Patriæ, onerem laudibus:

Quin quòd Camera etiam Imperialis, quæ Spiræ Nemetum est, ex hâc inclytâ Familiâ habuerit unum, & item alterum summæ auctoritatis & existimationis Assessorem.

Atq; HOC SUFFICIAT, NISI PLUS QUAM SATIS EST, de Familiâ, & Majoribus piè defuncti nostri, ut scitè huc applicem formalia magni illius nominis viri cum honore præfati PHILIPPI, hujus gentis, & Consilarii Saxonix Electoris intimi, deq; Germaniâ optimè meriti verba, quæ Divus Lutherus, quasi ex ingenio verè felici, ceù ex Apollinis profeta oraculo, plurimi fecit, quando ipsius coram Electore, ejusq; optimatibus, supra saluum conductum à Carolo Quinto Imperatore laudatissimo, impetratum, luculenta habitatio oratio, verbis conceptis dictis, albo comprobaretur

baretur calculo, ut τὸ λακωνίζαν, hoc est, argutam hanc breviloquentiam sibi communem esse, simul atq; hoc, vel amplius nihil exoptaret, quàm Principis sui constantiâ, & PHILIPPI FELICIS sapientiâ singulari, divinitus adornatus inclaresceret.

Verùm, in honorem nobilissimæ & antiquissimæ hujus Familiæ, quæ aliquantò fusiùs, fide tamen dixi historicâ, non ita interpretamini Auditores, quasi verò cæteris viris bonis, obscuro qui nati loco, & suapte emerferunt virtute, ignobilitas fraudi esse, vitiové, verti possit aut debeat;

Minimè id quidem gentium: Nam quotquot sumus boni, Nobilitati licèt secundum Ciceronis sententiam, jure meritoq; faveamus, quùm communi utile sit Republicæ, Nobiles esse homines, dignos majoribus suis.

Nihilo-tamen-minus suâ cujusq; virtus & probitas, omni majorum & gloriæ & opulentia longissimè est præferenda.

Quò sine dubio, suo respexit responso (pro-ut primâ apparet fronte,) præfracto mehercule, BIAS, Patriâ Boristhenites, cùm Antigonus Macedoniae Rex, ab ipso, quis esset viro-

rum? quam Patriam? & quos Parentes habere-
ret? per versum Homericum sciscitaretur.

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθεν τοὶ πόλις, ἡδὲ παῖτες; Id est:

Ede tuum nomen, Patriam, genus, atq; Parentes.

ignominiosè multa in se, familiamq; suam
dicendo, Patrem sibi fuisse libertum, cubito
se emungens, falsamentarium subindicans, ma-
trem duxisse é Lupanari, tandem & ipse Ho-
meri Poëtæ subjiceret versum.

παύτης τῆς γενεῆς, τῆς πατρὸς εὐχομαι εἶναι

*Hâc patris, hâc generis me nobilitate creatum
glorior &c.*

factum quando scilicet Antigoni, hâc παρρησίᾳ
quæ Socraticam sapere videtur ironiam, re-
tundere non subveritus fuit, nobilitatem quòd
pluris faceret justo:

Nec vero enim simile est, sapientissimum
Philosophum, sui generis fordes, & infamiam
sibi gloriosam & honorificam duxisse; in-
telligendo næ fecisset, ut nihil intellexerit,
& sapiendo, ut planè desipuerit, qui sa-
pientiæ præcepta, & illa inter, optimè novit,
quantum malum sit, generis labes, & fami-
liæ macula, quàm altas agat illa radices, ut vix
annis multis elui, virtutibus detergi, benemeri-
tis eradi, rebusq; secundis quasi reseccari queat:

Unde

Unde Plutarchus, de educatione liberorum,
felices prædicat, quibus genus contigit non
ὑποχαλκόν, sed *ἀκίβδυλον*, hoc est, non impurum
& adulterinum, sed honestum & intamina-
tum, eò quòd plurima non solum eis, cum
animi & corporis, tum fortunæ suppetant
adminicula, quibus ad virtutem & gloriam,
quasi gradibus quibusdam ascendere potis
sunt, verum etiam quòd ita cum omnibus
ferè comparatum sit creaturis, ut virtutum æ-
quæ, ac vitiorum animi seminibus à Parenti-
bus in sobolem sparsis, qualitatatum harmonia
& concentus existat ejusmodi, unde collige-
re facile sit, tales liberos esse futuros, quales
fuerunt Parentes vel genitores, secundum il-
lud Horatii,

*Fortes creantur fortibus & bonis,
est in juvenis est in equis Patrum
virtus, nec inbecillum feroces
progenerant aquila columbam.*

FELIX itaq; nomine & re verè fuit piè
Defunctus noster, & Familiam, & ejusmodi,
ut dixi, Majores, & Abavum quidem
JOBST, Proavum URBANUM, qui cen-
tum, ut vixit piè, sic placidè cum moreretur,
numera-

numeravit annos, prout fidem nobis facit Epitaphium, quod in templo à Domino URBANO CASPARO, Beati nostri Dn. Patre, propriis & sumptibus magnis magnificè non ita pridem, ex merâ & verâ in DEUM pietate nostrum, extracto, cernitur Kürbitz; Avum RUDOLPHUM LEVINUM, Patrem verò Dominum URBANUM CASPARUM à Feilitzsch, virum æternâ dignissimum laude, Qui Gentis nobilissimæ suæ, paritèr & antiquissimæ gloriam non hæctenus confervavit solùm, verum etiam illustribus gravissimarum per Germaniam, præsertim hiscè proh dolòr! turbulentissimis temporibus, gestarum rerum extendit amplificavitq; argumentis;

Matrem item quòd nactus sit Nobilissimam Dominam VERONICAM à Mülich, vivum christianæ Matronæ exemplum, suiq; sexus decus æternum, quæ Patrem habuit Strenuum æquè, ac Nobilissimum Dominum WILHELMUM CURTIUM à Mülich, Dn. in Bocketra & Naußdorff; Avum WOLFGANGUM à Mülich Dn. in Hartisloben, Hispaniarum atq; Gallia Regum, militiæ præfectum fortissimum; Proavum WILHELMUM, &c. juxta Majorum seriem, quæ longior, quàm hîc recenferi queat debeatvé: Verùm

Verùm non pauca licèt, de utroq; Parente, sempiternâ cum laude, commemorare hîc verè possem, necessariò tamen dissimulanda, ac sicco prætereunda pede sunt, ne ad adulationem mea proximè accedere videatur ingenuitas; Præsertim ex eorum cùm sint numero, quibus, ut optimo cuiq; immodicæ laudes per quàm sunt molestæ, quiq; placere vivi, mortui commendari malint;

Quemadmodùm præclarè Pescennius Niger cùm quidam, Panegyricum in ipsius laudem scriptum recitare vellet, indignabundus scribe, inquit, Marii laudes vel Hannibalis, aut Ducis egregii alterius vitâ functi, ut illum nos imitemur &c.

Quid enim vino vendibili opus est suspensâ hederâ? Nuncquid omnes norunt! qui ipsum, inquam, Defuncti nostri Dominum Patrem norunt, quâ Sanctimoniâ? simul ac supremum ad Cancellariatus culmen & officium legitimè vocatus cùm esset, atq; dignitate summâ versatus sit? ut majorem propemodùm ipse ad eum afferret; Pius erga DEUM, ejusq; Ecclesiæ Ministros beneficus & liberalis; justitiæ amans, gravis in vitâ, non severus, magnificus non profusus, omni scientiæ genere, politica

E

liticæ

liticæ imprimis, atq; Reipublicæ gubernan-
dæ, nec non eloquentiæ laude sic imbutus,
ut primarios ætatis nostræ viros, quantum
æstimare solet, tantum ab illis colatur; cle-
mentiam istis quoq; suam, si qua veniæ aut
meritorum aut pœnitentiæ ratio patitur, ve-
lut portum naufragis non præcludit; mul-
tos pœnarum metu, suo ex officio, coër-
cet, paucos pœnis, nec triste aliquid nisi tri-
stis adversum pervicaces & indomitos decer-
nit, alienam pœnam exigere, penè suam eff-
constituens; humanus erga omnes, ut UR-
BANI nomine cum omine verè gaudeat;
gloriaq; ipsius permansura sit, donec in terris
erunt cultores honoris, sapientiæ atq; erudi-
tionis; laborum deniq;, si unquam quisquam,
sustinendorum patientissimus; ut quoties ipse
de plurimis illius gravissimisq; occupationibus
cogito, sine admiratione recordari non pos-
sim: Sed otio qui rectè uti novit, is rectè in
negotiis versari potest.

Dominæ VERONICÆ verò Matris ah!
matris ob præmaturum Filii unici desideratif-
simi occasum, afflictissimæ pietatem, cuinam
fæminarum honestissimarum in historiis con-
celebratarum comparem? vix mihi nunc suc-
currit,

currit, inter cæteras, alia, quàm VERONICA illa
Guelfi Ducis Bavariæ conjunx prudentissima:

Hic enim in obsidione Winsbergensi cum
fame coactus esset dedere sese irato hosti Con-
rado, hujus nominis tertio Imperatori, memo-
rabili conjugis suæ consilio liberatus est:

Imperator siquidem Conradus petenti-
bus cum permisisset mulieribus, ut inviolatæ
discederent cum reculis, quas suis gestare hu-
meris possent; Guelfi Uxor, & cæteræ nobiles
Matronæ, relictis ac spretis preciosis gemmis,
ornamentis, atq; vasis aurëis omnibus, viros
suos asportârunt & filios in vitâ charissimos:
Quâ pietate Conradus Imperator motus, pæ-
nam Guelfo condonavit, & pacem atq; ami-
citiam cum eo iniit.

Ab hisce inquam, pientissimis Parentibus
ortus BEATUS noster, non virtutis solum femi-
na, & indolem generosam atq; excitatam, for-
tunarumq; bona accepit amplissima, (quæ
tamen ut adventitia & fortunæ missilia, quæ
vulgus attonitum stupet, casibus obnoxia sunt,
mobilisq; momento horæ, transmutant Do-
minos, ea in censum non refero.) Sed ab
ipsis statim incunabulis, in timore DOMINI
E 2 inq;

inque pietate vera atque seria, quae omnis initium est sapientiae, promissionesque hujus, & securae vitae habet aeternae, secundum Divi Apostoli Pauli praecipuum, (Et vos Patres educate filios vestros in disciplina & timore Dei) in morum item elegantia, primisque honorum literarum elementis, quae amoenitatis ac jucunditatis plurimum, nec utilitatis minus habent, alias inter nobiles propagines, in quibus praecleara insitae nativaeque specimina sublimitatis in ipsa pueritia conspiciebantur, sollicitè educatus, & diligentissime praecuntibus Praeceptoribus privatis institutus, cum lacte ferè hausit *εὐσεβείαν καὶ φρόνησιν:*

Ubi aliquantum adolevit, quum facile animadverteretur, teneris ad huc pueri sensibus haud vulgarem hærere altè vim acuminis, ac memoriã ipsum rerum abundare omnium mirè tenaci, ad altiora quoque studia, ad quae naturali quodam instinctu rapiebatur, adhibitus, anno aetatis sextodecimo suae, nostrae verò salutis, supra millesimum sexcentissimum vicesimo quarto, curae, fidei, atque inspectioni commissus exquisitissimae, Clarissimi Domini JOANNIS LIMNÆI, studiorum nunc morumque Formatoris fidelissimi, Illustrissimi & Cel-

& Celsissimi Principis, ac Domini Domini
ALBERTI Marchionis Brandenburgici, Po-
russiae &c: Ducis, Domini mei clementissimi,
(in cujus juventute viridi, cana ecce jam elu-
cet vel maxmè sapientia, quem ex Galliis, a-
liisq; oris peregrinis, DEUS TER OPT: MAX:
suo tempore nobis, Patriæq; restituat Patrem
fospitem diuq; florentem, ex cordis penetrali-
bus precor:) Lipsiamq; nunc ad capeflendas
liberales artes & facultates superiores matu-
rus, in hanc spem à Dn. Dn. Parentibus mis-
sus est, hocq; sine in Academiam primum in-
tulit pedem, ut bonæ frugis copiam & opti-
marum artium scientiam, domum aliquandò
reportaret:

Ut enim plantæ nonnunquam si transfe-
runtur, feliciùs surgunt; ita & ingenia divina
cum fructu plerunq; lares patrios, Patriamq;
relinquunt:

Quâ in Academiâ celeberrimâ paritèr & anti-
quissimâ, omne tempus, & quidem triennium
integrum, non ILLE, ut alii voluptatibus non
rarò, cæterisq; id genus oblectationibus terere
assolent, sed totum, præsertim ad nativas illas
ingenii dotes, patientia & vigor judicii cum

accederet sibi vindicavit, & ad mentis cultu-
ram transtulit;

Usq; enim adeò his per omnia fuit dispar,
qui divitiis pariter & vitiis corrupti in otium
se dant atq; segnitiam, nec ex dignitate gen-
tis esse putant liberalibus sese occupari stu-
diis, eò quòd celsiori sint loco geniti: Id
quod admiratione tantò & commendatione
item habetur dignius, quantò proclivius ejus
ingenia ætatis, aliàs ab honesti rectiq; tramite,
ad vitiorum devia & voluptatum ut plurimum
dilabuntur.

Vitam verò, omnium testimonio bono-
rum, ibi egit quietam, & pacatam, pius erga
DEUM, legum observans, amans Præcepto-
rum & obsequens, sobrietatis studiosus, ne-
mini molestus, gratus omnibus, nec quic-
quàm negotii vel Magistratui vel comilito-
nibus suis unquàm exhibuit.

Inde, triennio exacto, Ephoro, & ulterio-
ris peregrinationis fideli comite Dn. LIMNÆO
amico meo veteri, Viro per scripta Historico-
Politica sua, ut ex ungue Leo, publicè cele-
bratissimo, in Argentoratensem ablegatus Uni-
versitatem, quum animus ipsius divinus cele-
riter res assequeretur specie diffitas, numero
infini-

infinitas, quiq; virtutis paternæ non umbram,
sed ipsam conservaret virtutem, inter subli-
miora studia, aliaq; exercitia Viro nobili digna,
studuit ibidem cum primis placere bonis, non
multitudini; quandoquidem magnarum vir-
tutum pessimus sit æstimator vulgus: Nec
enim bene humanis cum rebus agitur, quando
quæ sublimia, honesta tamen & præclara sunt,
majoris comprobantur iudicio partis; Cor-
datis quippè & sapientibus sæpenumerò viris
adeò suspectum fuit falsum multitudinis suf-
fragium, ut memoriæ proditum sit, Phocio-
nem, cum animadverteret sententiam à se pro-
latam, unanimi totius populi assensu approba-
tam fuisse, ad amicos conversum, ex iis quæsi-
visse, nuncquid sibi aliquid absolum per im-
prudenciam excidisset?

Deinceps quandoquidem flagrantissimo
peregrinandi desiderio, prout ingenia alta &
ætherea motu gaudent, accenderetur, non
nesciens scilicèt IPSE, quantum utilitatis
publicè privatimq; cum maximo sæpenu-
merò gloriæ & existimationis fænore secum
importaret, nobiliores totius orbis terrarum
Asiæ, Affricæ, ac magnæ & diffusæ Europæ par-
tes, pedibus oculisq; usurpasse, leges, mores,
Rerum-

Rerumpublicarum diversissimas formas, linguasq; varias penitus & cum iudicio cognovisse, miranda aliarum Nationum Populorumq; conspexisse, quin etiam asperiusculos mores limâ peregrinationis emoluisse, nec non domesticam rusticitatem extero civilitatis cultusq; macerasse sate, Argentinâ concessit in Galliam, idiomate illius nationis, (cui etiam adiciebat linguam Italicam, quam æque ut latinam callebat atq; græcam) & exercitiis nobilioribus exactè apprehensis, Regniq; provinciis sollicitè perlustratis plerisq;, cum innatae ipsius virtutes prorsus averfarentur diutius consistere in Galliâ, illo pravitatis oceano, (secundum Clarissimum Dn. Thomam Lansium amicum sincerè colendum meum) inundatâ totâ; ut enim morbus, inquit in consultationibus elegantissimis suis, Gallicus familiaritate & consuetudine Gallorum longiùs progressus in plurimis extra Galliam locis, sævitiae suæ stigmata inussit;

Ita si quando Galli regna & provincias subegerunt, quod factum est aliquoties, non minus immaniter & injustè semper se gessere, sic tamen ut pari fortunâ cum eorum cognomine morbo, tandem ignem, ferrum, & omnia
ultima

ultima remedia passi sint, nihilq; foris præter
suorum funera cadavera, sepulchra, & infa-
mem reliquerint memoriam:

Ex oris, inquam, Gallicis Dn. Defunctus
noster Magnam trajecit in Britanniam, insu-
lam totius orbis longè celeberrimam & ma-
ximam.

————— εἰς τὴν ἄλλην
Νήσου ἐν πάσησι Βρετανίῳν ἢ Παρίζα

————— totius orbis
est omnes inter par insula nulla Britannis.

Quæ à circumvicinis Regionibus commodo
undiq; intervallo disjuncta, gremiisq; passim
patentibus universi orbis commerciis oportu-
na, & tanquàm ad juvandos mortales avidè
in mare omni ex parte se projiciens undiquaq;
cælo & solo juxtà fruitur felicissimo: Quin
quòd nulla alia sit Regio, quàm Britannia,
quæ Christianismum conservavit constantiùs,
professa sit sincerius & quæ tot tantosq; Prin-
cipes in Sanctorum Martyrum, & Confesso-
rum catalogum relatos ostendere possit, Di-
gna me-christe, quæ propterèa, non ut o-
lim tenebris paganorum immersa ab impio
illo Porphyrio dicebatur, Ferax Tyrannorum
Provincia, sed Regio Sanctorum foecundissi-
ma nominetur: F Indè

Inde Belgium petiit atq; Hollandiam re-
giones omnium potentissimas & florentissi-
mas; Animo ejus linguis, artibus, atq; scien-
tiis, virtutibus item, ac omnis generis exercitiis,
quæ hominem nobilem decent, & absolvunt,
satis superq; exulto, induciis jam per integrum
septennium cum laribus paternis factis, do-
mum Anno. 1631. reversus, enitebatur unicè,
ut ea, quæ alibi audiverat, viderat, animadver-
terat laudabilia pariter & utilia, in succum &
sanguinem converteret, datâ postea occasione
cum Patriæ suæ fructu, & Principis gratiâ, ad
exemplum sui Patris, attemperare negotiis pos-
set.

Nec enim ille, ut alii benè multi ex pere-
grinantibus nostratibus, qui

vix è conspectu Patriæ telluris in oras

digressi peregrinas, si galliam limis aliquan-
do adspexerunt oculis, gallica omnia, si Ita-
liam intuiti sunt, italica omnia; si alterum
pedem in Hispaniam intulerunt, hispanica
omnia; si in Angliâ pernoctârunt, anglica o-
mnia, & undecunq; tandem peregrè redie-
runt, peregrina omnia, mores, gestus, cere-
monias, vestitum, linguam, histrionicâ teme-
ritate ac stultitiâ probant, jactitant, extollunt;
Germa

Germanicis & paternis omnibus neglectis, fastiditis, rejectis, quiq; ut in vico Lutetiæ vicino Echo est, quæ vocem semel acceptam tredecies & sæpius reddit, sic illi multiplicant visa, vel audita, & non modò Indicas formicas vulpium aut luporum magnitudine, arbores tantæ proceritatis, ut sagittis superari nequeant, tantæ capacitatis, ut sub unâ ficu turmæ condantur equitum.

de nihilo magna, & de parvo maxima fingunt.

Aliter & multò quidem aliter suas transegit peregrinationes atq; absolvit noster JOANNES HEINRICUS, aliter de Patriâ suâ Germaniâ sensit, nec ei tanti exoticum eant vitrum, quanti domesticum aurum:

Virtutes enim in Patriam omnigenas, quæ juventutem exornant, senectutem oblectant, nec gravant circumferentem, secum retulit, non Alomodo vestiarii luxus varietatem, secundum Poëtæ nostratis lepidum carmen rhythmicale, ad Fratres Germanos à la mode;

O Alamodista, quid mos vult ludicrus iste?

Cum cattis quorsum vobis tam flexile dorsum?

Cur digitum primum ad fundum dimittitis imum?

Cur nunc nodati, nunc toti itis ligulati?

E 2

Nunc

*Nuve curtis bracciis, nuve longis & benè laxis?
Et nunquam stabilem portavis corpore vestem?
An laus est HANSSI, quod fiat simia FRANCI:
annata est gravitas; pudor aſt ſic diſcere nugas;
Qui multum expendunt apud hos, qui talia vendunt,
Ah! redeunt multi Gallo de littore ſtulti,
ſtulti ac majores, hinc qui venatur honores,
Quod lingua ignari Galli ſine nomine clari, &c.*

Nuncquid enim Auditores, abundè teſta-
tur experientia, quàm inopes & egeni virtu-
tum peregrè ſæpè redeant noſtri Germani?
Quantus contra eorum quæſo eſt numerus!
de quibus ſpes concepta erat, fore, ut ali-
quando Agamemnonis perſonam ſuſtinèrent;
qui tamen ex Galliis, Italiâ, aut alio volupta-
tum ſtabulo reduces, ubi perditio ætatis vere,
intra paucos menſes aut annos ſibi triftiſ-
ſimam vitæ hyemem accelerârunt, domi vix
Theſitem agere valuerint.

Quis tandem ſatis Germanus? quis ſatis
Vir domum revertitur? Scapulas contrahen-
do attollere, in amico ſalutando pronis cer-
vicibus & veſtigiis verrentibus terram dexteræ
tibiæ illius integumentum infra genu timi-
diſſimâ manu libare, capillum in varios gy-
ros frangere, ad muliebres blanditias vocem
extenuare,

extenuare, mollicie corporis cum fæminis de-
certare, & immundissimis excolere mundi-
tiis, ad numerum ire, salire, garrere, hæc mul-
torum nostrorum sunt specimina peregrina-
torum:

Ut ipse Ego, ante aliquot annos cum Il-
lustrissimo Fratrum Pari utroq; Domino BREÜ-
NERO Liberis Baronibus &c. (Quorum alter
& quidem Senior Generosissimus Dominus
Dominus PHILIPPUS FRIDERICUS, & Fami-
liæ perillustri suæ ac Patriæ Augustissimæ DE-
cus & ornamentum cœlitus seruetur in æ-
vum) Gallias, Italiam, aliasq; peragens Regio-
nes submirari nunc desinam, quæ Chinenses,
potentissimus extremæ Asiæ Populus se à
communi aliorum populorum commercio
sponte distrahant, nec ulli civium, gravissimi
Sanctione Edicti, imperii limites impunè ex-
cedere permittant;

Et mei si esset arbitrii, aut prorsus inhiberem,
aut saltem accuratissimas (ut quidem nos à
Superioribus accepimus nostris) peregri-
nandi leges præscriberem: Nam cum juven-
tuti id unicè sit addiscendum, quòd ad Rei-
publicæ utilitatem pertineat, & virilem æta-
tem, juxtà atq; senium condecorare queat;

absonum, & ab omni alienum prudentiâ fuerit, id extra Patriam quærere, & petere ab extraneis, qui quantum à nobis situ & locorum intercapedine, tantum etiam diffident totâ penè imperandi ac parendi ratione, imò à toto vitæ genere nostro, vitæ, inquam, genere, quod est, aut esse certè debet, antiquæ virtutis ac fidei, prout à Parentibus & Majoribus nostris re & nomine GERMANIS, à virtute dictis viris edocti & educati sumus, qui de hodiernæ periculosæ admodum sincerationis (quæ aliud nihil est, nisi cineratio veri, secundum Poëtarum argutissimum quendam) arte, & dissimulationis compendio pernicioso, scire nihil quicquam, amabantvé audire.

Peregrinationum porrò eatenus quodammodò finito cursu, quatenus apud dulcissimos Dn. Dn. Parentes delitescere aliquandiu è re suâ futurum, pro suâ arbitrabatur prudentiâ, & usq; dum tristissimæ hætenus in Germaniâ, & Patriâ suâ, & communi nostrâ, cheu! fat diu actæ Tragœdiæ finem tandem, & simul ineundæ vitæ rationis certæ occasionem conspiceret commodam, sponte momenta ferè cuncta temporis, ad ruminanda sapienter ea, quæ alibi locorum extra Patriam, viderat,

viderat, audiverat, legerat vè ipse, exercendamq;
latini, italici, & gallici imprimis sermonis
elegantiam, scribendo, conferendoq; cum
aliis impendit satis expeditam.

Quamvis enim linguarum varietas nos
non instruat scientiâ rerum, necessario tamen
subsidio, & quasi viatico perfruimur illis, ut
ad eam longo circuitu, diversisq; progredia-
mur tramitibus.

Suavitatis insuper, modestiæ ac mansuetu-
dinis, humilitatis item, & frugilitatis, nec non
temperantiæ laude omnes longo spatio ante-
ibat suos æquales: Amabat namq;, ut qui verif-
simè, dolebat, ut qui impatientissimè, lauda-
bat ut qui benignissimè, jocos miscebat seriis,
seriaq; jocis, ut qui facetissimè, omnia deniq;
tanquam singula absolvit.

νόμας etiam selectiores é libris sacrosanctis
aliisq; autoribus raris optimis sibi excerpserat,
quas loco suo atq; tempore convenienti, de
memoriæ suæ penuario accommodatè con-
natâ oris facundiâ pereleganti & pervenustâ,
cum suavitatis succô atq; flumine proferebat.

Nec enim refugit conventus, quàmvis
solitariae aliàs vitæ studiosissimus esset, neq; à
concef-

concessis abhorruit oblectamentis, sed accessu & affatu facilis, tantâ erga inferiores humanitate fuit, quantâ in amicos aut dignitate aliquâ præditos reverentiâ, ut cum amore multorum sibi conciliaret admirationem.

Tale atq; tantum, si ô nobilissima & tenerissima juventutis corona, omnium virtutum exemplum, eâ quâ pote est imitatione in vestros, publicosq; conferre usus, cordi vobis fiet, sanctè & in desinenter *πὴν σωτηρίας* advenerando, otii & vitiorum inquinamenta contemnendo vera & solida bona conqui-endo, mentis humanæ & breviter æternitatem cogitando ô inquam.

FELICES talem qui TE genuere PARENTES.

Hi verò autores licet non rarò fuerint suo ex-asse unico FILIO longè charissimo, & obsequentissimo, vel amore conservandæ familiæ antiquissimæ, ac sobolis procreandæ nobilissimæ, ne sine fructu posteritatis & ipse abiret, vel aliis honestis inducti rationibus, & eò quòd sociam habuisse rebus secundis, lætiti- am augeat, & rebus pariter adversis mæren- tem, solatii genus sit, animum ad contrahen- dum adjiceret matrimonium, vix tamen ex
dubiâ



dubiâ atq; lubricâ fluctuantis Patriæ fortunâ
ob varios præsertim bellicarum cladum flu-
ctus, persuaderi ejusmodi quid sibi passus
fuit, usq; dum paulò beata ante funera, su-
premaq; fata sua, in Legatione conspicuâ Dres-
dam, ad Serenissimum & Potentissimum Sa-
xonix Electorem, JOANNEM GEORGIUM
Dominum clementissimum nostrum (cujus
Serenitati, ob pacem, cum invictissimo Impe-
ratore Divo FERDINANDO secundo, Do-
mino item clementissimo nostro feliciter ini-
tam, quantas Germania universa, & nos, cum
posteritate omni, debeamus gratias ingentes,
hæc ad finem properans mea non capit ora-
tio) Domino Patri comes cum esset, lætis
quidem auspiciis, exoptato tamen sine exi-
tu, cum Generosi identidem Strenui atq; No-
bilissimi Domini FRIDERICI à Metsch, Do-
mini in Reichenbach, & Friesen, Consilarii
Aulici Electoralis primarii, Appellationis ju-
dicii, atq; Consistorii Superioris ibidem Præ-
sidis, etc. Filiâ nobilissimâ lectissimâ ac pu-
dicissimâ virgine EVA ELISABETHA, animi,
corporis atq; fortunarum dotibus multis, præ-
cæteris, sui sexus, exornatâ excellentioribus,
fide matrimoniali, cum incomparabili utri-
G usq;

usq; Parentum gaudio & exultatione ineffabili, obstringeretur.

Verum ut plerumq; miscentur tristitia lætis, atq; serenitatem summam mox nubes, nebulæ, venti, imberq; atq; excipiunt tonitrua; ita multis dum interea, iisq; periculosis satis legationibus, ad Serenissimum item Electorem Brandenburgicum, venerabile Principalis hujuscé Domus caput, aliisq; Imperii negotiis occupatur gravissimis Dn. Pater; dum infinitis jam antè modis afflictissima Mater, ob Matris non solum suæ optimè meritæ VERONICÆ à Müllich, sed etiam FILIÆ, omni virtutum splendore efflorescentis virginis MAGDALENÆ SYBILLÆ (cujus utriusq; in benedictione nomen) præmaturum in primæ juventutis tenerrimis annis, paulò ante hunc occasum, qualiacunq; conquirat solatia moderandi doloris, dum levamentis suâ condignis pietate, sese vix erigit, dum tristia dulcissimæ Patriæ undiq; in partibus suis horribili bellorum æstu, incursionibus, depopulationibus ac devastationibus, eheu! dilaceratæ atq; concussæ deplorat fata; En! cumulat dolor! atq; luctus acerbissimi nova materies inopinæ surgit;

In

In itinere enim cum optimo Patre redux
Sponsus ecce festivus noster, Plaviâ non mul-
tò post, & quidem ipsâ viridum die, cum u-
troq; Parentum excurrit in Domum heredi-
tariam Kürbitz, devotissimo cultus divini
peragendi animo, ibidem malè jam licèt
quodammodò habens, dulcissimis tamen
id (quæ animi erat τὴ μακαρίτης magnanimitas)
reticuit Parentibus, Plaviam usq; dum rever-
sus, διαρροίασ ipsum invaderet sævitia, quò ma-
gis Paschatis festo die, sacris interesse conni-
teretur, eò vis morbi succrevit ferociùs, ut ac-
cerfite quidem maturè Curiâ Medico, ac re-
mediis exquisitissimis subministratis omnibus,
curâ etiam Dn. Matris adhibitâ diligentissimâ,
non tamen remitteret, sed aucta indiès radices
ageret altiores, adeò ut de ulteriori vitæ suæ
termino ægrotans ipse desperare, exolvi, & cum
CHRISTO Salvatore suo-nostro esse, ex voto
Divi Pauli desiderare seriò inciperet.

Aprilis quippe die sexto anni præterla-
psi (torpescit lingua nunc mea, & verbo-
rum omnis copia exhorrescit & elegantia)
evicto morbi violentiâ naturæ robore, re-
cuperandæ valetudinis omnis spes concidit,
ac temporalibus renunciavit quibusvè: Interim

G 2

tamen

tamen, ut monente Senecâ, non in prælio
solùm aut in mari, sed in lectulo etiam vir-
tus exhiberi debet; Sic tria illa, in omni mor-
bo, gravia, metum scilicet mortis, dolorem
corporis, atq; voluptatum intermissionem
vigore animi validiori ac *πληροφορία* concita-
tiori pertulit, ac quanta morbi erat in cor-
pore asperitas, quanti cruciatus, tanta cordis
ἀντίρκεια, tanta sese exeruit tolerantia:

Parentibus etiam atq; suavissimis sororibus
ad perpetuam perseverantiæ tenorem ex-
hortantibus, plura é sacris, & historiis, exem-
pla retulit, qui in ultimâ vitæ tegulâ, à vir-
tutis ac obsequii lege nunquam desciverunt;
& præter alia ardentissimæ pietatis clara docu-
menta, patientia in eo summa & propemo-
dùm incredibilis eluxit, ut nullam toto mor-
bi tempore vocem ex ipsius ore querulam au-
diverint circumstantes:

Ingravescente itaq; quot diebus malo, cor-
porisq; attritis prorsus viribus, ex hoc procel-
loso & in omnes tempestates exposito vitæ
terrenæ mari, tutissimum illum sempiter-
næ beatitudinis portum magis magisq; ac
tandem unicè anhelavit; agnitis nempe
peccatis, sanctoq; sacræ Cænæ viatico ad
beatum

beatum illud iter instructus, postquam mœ-
stissimis Dn. Dn. Parentibus atq; Sororibus
lacrymantibus insigni constantiâ supremum
VALE dedisset, obstupescens sensim atq;
sensim sensibus, hebescente toto corpore, de-
bilitatâ ægrius voce, undecimâ Aprilis die, cir-
ca horam tertiam & quartam matutinam, an-
ni prædicti supra millesimum sexcentimum,
trigesimi quinti suis nunc numeris absoluti,
cùm jam spiritus intercluderetur, placidissimè
eâpse horâ, vox & vita defecerunt, cumq; vi-
xisset annos viginti sex, menses septem, dies
quatuordecim, Plaviæ Variscorum, inter pre-
ces atq; lacrymas, beatissima ipsius anima
corporis soluta ergastulo, è tenebris emer-
gens, liberumq; cœlum petens atq; lucem, ad
æterna cœlestium sponsalia, simul & nuptias
AGNI, triumphans evolavit, ac moriendo ad
immortalitatem, ex *εὐθανασία* statim ad *αἰθανάσιαν*
pervenit, cum SACRO-SANCTÂ TRINITATE, fan-
ctisq; Angelis, & beatis cunctis æternâ nunc
potitur gloriâ atq; lætitiâ sempiternâ.

Etsi verò Auditores, BEATUS noster Do-
minus JOHANNES HEINRICUS à Feilitseh, in
tantâ vitæ brevitæ, magnum nihil, vel pro-
lixâ dignum laudatione potuisse videatur, ut

qui quinque haud multum supergressus annorum lustra, praematurus decessit; orientis tamen etiam Solis jubar serenissimum admiramur, & de culmo segeteq; futuram messem aestimamus; imò id ipsum stupore cumprimis & veneratione dignum judicamus, quòd in eà ætate talis tantusq; extiterit iste, facili ut nisu, ad summa quæpiam pervenire potuisset, si non illum supremus antè dies occupasset, & spes Parentum, publicasq; præcidisset.

Verùm, ut orationis meæ proram ad silentii tandem dirigam portum, quem è vestigio petam, ubi unum, quod restat, addidero.

Ad vos autem M E nunc ò par Conjugum illustre, & sicubi vostrâ æquè mihi licet pace, ad vos quoq; quos oculis quidem nunquam vidi meis, Generose Domine FRIDERICE à Metsch, & ò tu virginum letissima, sed eheu! nunc afflictissima omnium, EVA ELISABETHA, quæ non extrema es atq; haberis harum mearum portio lacrymarum, oculos atq; vocem convertito meam, Vester hic proprius, proprius hic vester dolor est & capitalis, qui tam excelsæ
speci

spei FILIUM, GENERUM, SPONSUM,
publico bono, gaudioq; inexplebili vestro ge-
nitum, educatum, & animi maturitate Seniori-
bus summis supparem amisistis, voluptatem,
illum, vestram, illum ocellum, & delicias.

Chalybem certè circa pectus habere
Vos oporteat, si tanti amissione boni non
commoveamini gravius, ô Pater, ô Socer, aut
à lacrymis temperare vobis ô Mater, ô Spon-
sa, vel quodammodò tantum valeatis.

Nunquid enim non hujus acerrimi pro-
cella doloris corda perculit transfoditq; no-
bilissima vestra? aut summam solummodò
rupit cutem? qui potis equidem est ipsa di-
videre viscera.

Nec mirum etiam est, etiamsi casus hic
ad se omnia rapiens, tristis & acerbus non
oculos solum sine ullo flendi fine conturba-
verit muliebres, sed animos etiam masculos
dejecerit prostraveritq; paternos prorsus ve-
stros; Nisi vos, præ illis, didiceritis, foemineæ
magis esse fragilitatis, quàm virilis constantiæ,
dolori se consumendum permittere.

Ipsè fanè mihi videor etiamnum audire,
quàm vastum totâ domo paternâ tunc fuerit
silentium, mox verò undiq; post nuncium tam

atrox

atrox, in ædibus Dn. Soceri, ac omni spe de-
jectissimæ Sponsæ, lacrymarum imber elin-
guis, turbidi & confusi gemitus, planctus,
nec non miserabiles ejulatus!

Quin quòd & animum (confiteor inge-
nuè) ipsummet meum tanta invaserit, ve-
strum, ô Afflictiissimi mei, amore, doloris vis,
quando nunciatum mihi est triste hoc lite-
ris funus, quantam lacerato sentire unicè ani-
mo, ægrâq; volvere mente, facilius longè est,
quàm lacrymante nunc promere voce, ver-
bisvè exponere titubantibus.

Verùm si tristitiâ proficere quicquàm li-
céret, vel si id vestro futurum bono esset, in-
venirem & ipse ego, quod per hos exhau-
stos jam diu, (cùm propter publicas, tum pri-
vatas calamitates proprias meas,) fletibus do-
mesticis, effluat oculos, neq; recusarem quic-
quid lacrymarum fortunæ superfuerit meæ,
vestræ affundere:

Quùm verò nihil juvet mærore intabesce-
re, faciliusq; vos illi dolor adjecerit, quàm
VESTRUM vobis reducat; parcendum lacry-
mis erit nihil proficientibus, quæ nos tantum
torquent, non adjuvant;

Quin imò ad trutinam exactè examinan-
tibus,

tibus, quàm larga ubiq; quotidie flendi atq;
assidua materia! pariter & paulò à tergo re-
spicientibus, quantum rerum tristium, prohi-
dolor! adhuc immineat! lacrymæ nobis ci-
tius decurrunt, quàm causæ dolendi.

Aliquod sanè à nobis natura desiderium,
inq; defunctos nostros exigit pietas, sed plus
vanitate contrahitur:

In lacrymas resolvantur, gemantq; impen-
sius, quorum delicatas mentes longa enerva-
vit felicitas;

At vos, quibus anni præteriti per calami-
tates atq; misérias transierunt, præsens quoq;
grave licet sit ac vulnus perstringens, eadem
sustinete animi magnitudine, quâ omnia alia
superiora adversa tolerastis forti atq; constan-
tiâ immobili:

Ut enim optimam dolor hanc habet na-
turam, quòd non possit, nec qui extenditur,
magnus esse, nec qui magnus est, extendi;
ita hoc quoq; boni assidua habet calamitas, ut
quos sæpè affligit, novissimè induret.

Cùm igitur vobis continua ferè cum in-
commodis hætenus lucta fuerit atq; concer-
tatio, callumq; per injurias temporum, læsa
sæpiùs obduxerit patientia, contra hunc quoq;

H

casum

casum stabilem figite pedem, testatumq; facite, lædi vos quidem adversis, vinci non posse.

Quir ergò vobis omnis inter luctus dies abeat? cur sine somno noctem tristitia consumat? quir sauciato ingerantur pectori manus? cur in faciem impetus fiat? aut omni sese ferociæ genere profecturus exerceat mœror!

Nec enim fletibus vincuntur fata, nullis defunctus vester revocatur planctibus, immota inq; æternum fixa fors nullâ mutatur miseriâ, & mors tenet quicquid abstulit: fluant e quidem nonnunquam lacrymæ, sed eadem quoq; desinant; trahantur ex imo licet pectore gemitus, sed iidem etiam finiantur, huncq; ratio modum fervet, qui vos in eo teneat habitu, qui & piæ mentis est, & emotæ:

Non enim sentire mala sua, non est hominis, & non ferre, non est viri. Sicubi verò quædam luctus moderandi solatia vestri quærere velitis? non ad illa quæso recurrite, quibus uti consueverunt multi, quæ tamen impedimenta magis sunt doloris, quàm remedia, ut vel peregrinatione longâ detineamini, aut amænâ delectemini, vel sollicitâ Reipublicæ Patriæ, aut Reifamiliâs, patrimoniiq; administratione, aliisq; consimilibus fallere tempus nitamini modis;

modis; quæ omnia ad exiguum tantum momentum profunt, quandoquidem inter ipsa, quibus avocatur, non raro vehemens aliqua mæroris desideriiq; nota subeat:

Omnis enim dolor, aut voluptatibus delusus, aut abductus occupationibus, mox resurgit, & ipsâ quiete impetum ad sæviendum colligit: At qui rationi cessit, in perpetuum componitur:

Sed eò, quò omnibus, qui fortunam fugiunt, confugite, ad literarum, inquam, divinarum & humanarum, quæ hodiè extant æternitati consecrata monumenta, & tam ex sacrae scaturigine scripturæ, quam aliis Sapientum præceptis atq; exemplis, piæ consolationis, ac Christianæ patientiæ fundamenta longè haurite firmiora, mentisq; oculos vestræ ad perspicuæ rationis lumen erigite, ac religiosâ credite fide, voluntatem DEI Opt: Max: nostri, æquitatis esse ac justiciæ normam, nec casu contingere, quando BONIS mala eveniunt, ac tentationum turbinibus Fideles, nec non procellosis tribulationum fluctibus undiq; petuntur; impiis contra ac improbis verò, ex voto ut plurimum omnia fluunt.

Quicquid enim adversi, quicquid tenta-

H 2

tionum

tionum obtingunt electis, probationis, non reprobationis testimonia sunt ex invictæ veritatis petita fontibus.

Certi namq; sumus, DEUM benignissimum nostrum fideles suos sub tristitiæ specie exhilarare, sub specie mortis vivificare, sub morborum specie sanare, atq; ditare sub paupertatis specie:

Quemadmodum credite mihi, nec solida, nec fortis habetur arbor, nisi quem frequens ventus incurfat, unde ipsâ concussione constringitur, radicesq; altiùs figit; ita quassata adversis fides piorum ac bonorum omnium, in salutis petrâ roboratur firmiùs, in boni operis ramos se propagat latiùs, inq; liberationis spem erigitur altiùs.

Quòd si autem luctus hic incomparabilis vester surgit ferocior, & adversus hæc, quæ hæctenus à me adducta sunt remedia, contumacior! hoc magis optimum illud inter pietatem & rationem vobis observandum erit temperamentum, sentire nempè desiderium, & simul etiam opprimere.

Nec mihi quidem venit in mentem, in-natam si cogito animi vestri moderationem, quam imitari me potius, quàm deprædicare decet, suspicariet, quasi communem omnium
morta-

mortalium conditionem deflere, inq; hanc naturæ omnia ad eundem finem reducentis necessitate, vos, vestrosq; seponi, aut ruinæ ipsi mundo imminenti aliquam subtrahere domum velitis.

Nihil enim novi aliudq; vobis accidit, quod antè non passi sunt omnes, omnesq; passuri: Ad vitam siquidem quicumq; editur ad mortem destinatur; commune omnibus illuc iter est: Unde DEUS pro ineffabili suâ sapientiâ, commune fecit, quod fecerat gravissimum, ut fati scilicet crudelitatem consolaretur æqualitas.

Et sicubi id vos torquere videtur gravius, quòd subito & in ipsâ floridâ juventute, mors vestrum sustulerit; Fateor equidem nos ferè omnes in eo versari errore, ut non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosq; jam vergere; cum tamen illò infantia statim, & juventa, omnisq; ferat ætas, quovè facilius obrepat mors, sub ipso vitæ nomine latet.

Imò illo ipso ingredimur iter mortis diem, quò lucem adspicimus primum, & aliqua quotidie pars vitæ demitur, ac tunc quidem cum crescimus vita decrescit, huncq; ipsum, quem hodiè agimus diem cum morte dividimus:

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

H 3

Quare

Quare subitum non putemus id, quod totâ vitâ denunciatur futurum: quin potius in pro-
cinctu animus stet, & quod necesse est, nun-
quàm timeat, quod incertum, semper expectet:

Sat itaq; diu vixit Beatus vester, quia benè vixit, quia non tam sibi vixit, quàm unicè DEO, sibi verò magis, quàm mundo, pietati æq; ac virtuti, Parentibus & proximo pariter, ut sibi qui per pietatis cæterarumq; virtutum, quæ no-
bilem ornant virum, innumeras laudes, etiam post funera vivit. Ut enim in minoris corporis habitu homo potest esse perfectus; sic in mi-
noris temporis spatio, vita potest esse perfecta & suis absoluta numeris.

Virtutibus igitur incipite non annis æsti-
mare piè Defunctum vestrum, & cogitate nul-
lis ferè summa & diuturna simul contingere bona, sed ad exitum properare, quicquid ad summum pervenit.

Quid vanis ergò vos oneratis curis atq; co-
gitationibus? non tam diu vixisse vestrum, quàm potuisset? unde enim scitis? aut quis in tam obscurâ & involutâ veritate divinet? an diutiùs vivere illi expedierit? an verò hâc morte illi consultum sit?

Ante oculos vobis quæso ponite tristem præ-
sentem rerum omnium ad interitum prope-
rantium

rantium faciem, quotidiana item vicissitudinis
humanæ, casuum incertorum, variarumq; tur-
barum undiq; ex aliâ atq; aliâ causâ fluentium
exempla, pariter & eorum, quibus valdè nocu-
it diutiùs vixisse: Unde felicissimis quibusq;
mortem optandam esse, affirmavit Seneca, eò
quòd magna sit in ipsâ etiam moriendi felici-
tate felicitas: In tantâ enim rerum inconstan-
tiâ, inter tantas turbas, nihil nisi quod præterit,
certum est: omne autem futurum incertum,
& ad deterius certius.

Ut non absq; ratione iterum felicissimum
esse duxerit atq; dixerit noster Seneca, NON
N A S C I, cui proximum ego putem, brevitatem
vitæ defunctos citò in integrum restitui, quan-
do quidem in hoc tam procelloso & in omnes
tempestates exposito mari, navigantibus nullus
nisi mortis sit portus.

Quantum igitur contra tot tantasq; vitæ in-
jurias, beneficium mortis? quàm beata mors
ipsa? quæ sive calamitates repellit omnes, sive
fatietatem ac lassitudinem terminat senectutis,
sive juvenile ævum, dum meliora sperantur,
in flore deducit, omnibus finis, multis reme-
dium, quibusdam votum, de nullis meliùs me-
rita, quàm de his ad quos venit antè quàm vo-
caretur: Intelligitis nunc mœstissimi mei,
optimè

optimè cum piè defuncto vestro agier, quem
mors, quia illum, hoc manebat vitæ stipen-
dium, citò in tutum recepit: Desinite ergò
desinite inquam, angere & lugere diutius; Quæ
enim invidia esset beatam ejus ulterius deflê-
re animam, quæ velut ex diuturno carcere e-
missa, ineffabili nunc fruitur gaudio: excipit
illam coetus sacer, æterna pax, non torquet
eam ira, non affligit morbus, nulla ibi con-
spicitur clades; ibi tandem consistit, ubi nihil
terret, ubi peccatorum non amplius grava-
tur pondere, ubi non ulterius metuenda sunt
lethalia animæ vulnera, ubi salutari Angelo-
rum gaudet consortio, ubi Sacro-Sanctam
Trinitatem intuetur, sine fastidio amat, sine
defatigatione laudat, ubi abundat gaudio sine
tristitiâ, salute sine dolore, vitâ sine labore,
luce sine tenebris, ubi summa & certa securi-
tas, segura tranquillitas, tranquilla jucundi-
tas, jucunda felicitas, felix æterna beatitudo,
beata Trinitas, Trinitatis Unitas, Unitatis Dei-
tas, & Deitatis beata visio.

Veni ô DOMINE JESU, veni, & nos quoq;
gloriæ illius tuæ brevi participes redde. DIXI.

SEQUUN-

SEQUUNTUR CLA-

RISSIMORUM QUORUNDAM

Virorum, Amicorum. item, atq; aliorum sincerè condolentium, egregiæ consolationes, Elegiæ, & Epicedia.

I.



I mihi cum doctis commercia pristinâ
Musis,

Temporaq; à curis liberiora forent,
Solvere te mœstos rogitârim, Elegeja, capillos,

Et dare luctificis carmina acerba modis.

Ora etiam atq; oculos vero perfundere fletu:

Verus enim luctus, luctus acerbus adest.

FEILTZSCH IUS occubuit, magni spes unica

Patris,

Olim! nunc imò pectore cordolium.

Ille illum à primo prudens curaverat ævo

Formari exemplis ad decus omne suis.

Dein variâ ornârat juvenem sapientia dote:

Jamq; expectabant munera celsa virum.

Heu mihi! in humanis quid ludis opinio rebus!

Hæc Pater, hæc omnes vota dedere boni.

)(

Verùm

Verùm aliter summi decrevit curia Patris;
Decreti causas quærere, jura vetant.
Si tamen ejusdem non rarò judicis æqua,
Quæ rigore abstulerat, gratia restituit,
Nos quoq; quid prohibet meliora reponere
vota,

FEILTZSCHIA DÆ status ut sit prior in-
de Patri;

Et qui turbato modò condidit ordine natum,
Officium moriens experiatur idem.

Tunc ego te lachrymas retinere, Elegeja, ju-
bebo,

Quando sibi natum liquerit ipse parem.

Philippus Eyselius J. U. D. .in
aulâ Brandenb. Onoldinâ, &
Consiliis secretis, Procancel-
larius, & utriusq; Consisto-
rii Ecclesiastici Præses.

Genero.

II.

GENEROSO, STRENUO
 ET NOBILISSIMO DOMINO, DOMINO
 URBANO-CASPARO à Feiltsch in Kürbitz /
 Forbau, Schwarzenberg & Ifar & c. Cancellario
 Brandenburgico meritissimo, Patrone
 suo Colendo.

SALUTEM ET OBSEQUIA.



Generose Strenue, & Nobilissime Vir, Domine & Patrone Colende

Dolor me invasit, cum de obitu nobilissimi filii tui intellexi: suprema Dei voluntati, nostram hanc subjungamus, & aequis oculis animisque spectemus, quicquid iussit. Hoc faciendum cum aliis, tum tibi, qui inter bonum & malum miris modis semper discernere potuit. Sapiens enim non querit homines, se ipso contentus: quid ergo? non etiam filium ex asse unicum & splendidissimarum heredem, facultatum? Non etiam filium in aetatis & ingenii vigore ac robore, minutatim vitae subductum, sed repente avulsum? non etiam filium (ausim dicere) in quo presidium amiserit, non etiam filium, cuius desiderium ferre non possit? Imò, sed potest & sine eo esse: potest amittere, & amissum lugere: In eo ipso fructus & volu-

Voluptas, dum se ipsum solatur. Multa fata (quorum ordinem, decretis, numeris & structurâ compositis, nunciabat) in bello intestino languidè (cùm præcogitati mali mollis ictus veniat) toleravit: hoc etiam ferat & perpendat, quod ad Psalmi 91. famam, manente vaginâ, gladius liquecat; cogitet, non esse hoc naturale, luctibus frangi, vel orbitate vulnerari: conferat se, pro ut indefessa consuetudo illum egregiè instruxit, ad sapientiæ studia, quæ sanè iuvabunt; inhereat publicis & universis, quorum Diis major cura, quàm singulorum; sapiens non est desertus, officia & oblectamenta, ista dabunt; dolorem dies consumat, licet contumacissimum, quotidie insurgentem, & contra remedia effervescentem; tamen illum, efficacissimum mitigandæ ferociæ tempus enervet; multum intersit, utrum sibi quis permittat mœrere, an impere: supervacuum sit, naturæ causam agere: quæ non aliam voluit legem nostram esse, quàm suam: quidquid composuit, resolvit, & quidquid ordine turbato resolvit, componit iterum; cùm sexus muliebris superstes sit gloriæ fraternæ.

Qui nobilitatem repetit à Romanis, & qui ab antiquissimâ FELICIUM familia est oriundus, habeat suam VENEREM, quam Græci CHARITA vocant; cui autem illa favet & adest, ii FELICES & impetrabiles. Unde Sylla, qui etiam cognomen FELICIS habet, prælibatis Græcis ἐταῖρα ἰπποδρόμου inscriptus VENUSTUS.
FELI.

FELICIOR verò est Johannes Henricus à Feiltsch,
qui præviâ, non judicis, sed cælestis & clementissimi patris
evocatione, emigravit in vitam feliciorẽ, ubi resurrectionem
suo tempore expectabit.

Cogitandum igitur, non quòd, sed quò abierit? nimirum
ad victoriam & triumphum æternum, quem nulla
unquam prælia secutura sũnt, nactum scilicet pro lucu-
brationibus quietem; pro tenebris claritatem; pro morte
vitam; pro terrenis cælestia; pro brevibus incorruptibilia.

Duo igitur nomina vir Nobilissime sustinebis, & Di-
rectoris publicorum, & patris: atq; ut facias, universa
Germaniæ negotia obnixè rogant: etiam illud, ut ani-
mum erigas & solacium non à ratione solum, sed à poste-
ritate capias, quam DEUS dabit.

Forma & dirige illam in ejus gloriam & antiquissimæ
familiæ honorem: Ita sit, ut idem Deus illam servet. Vale
Patrone & Domine Colende. Dabantur Noribergæ 19.
Decembris 1635.

Gener: tuæ
Addictissimus

Johannes Henricus Hüls, D.

) 3

ELE.

III.

ELEGIA.

Qualia, quæ celsâ pendent de fronde, sub ipso
 Autumni viridi limine, acerba nimis,
 Vi divulsa cadunt juvenantia poma, Coloni
 Præcipitante manu, vel graviore modo:
 Talis & ipse cadis, primo sub flore juventæ,
 Et nimum crudo funere raptus obis,
JAN-HENRICE, Decus Juvenum, & spes ultima Patris,
 Olim autem Gentis magna futura tuæ
 Gloria, nî antè diem secuisset stamina vitæ
 Invida fatali forcipe Parca brevis.
 Ergò nec innocuus sanguis, nec cruda juvenus
 Imberbesq; genæ, non nitor ille tui
 Floridus ingenii; non tot pia vota bonorum;
 Nec Patris Eximii fervida cura & amor;
 Non Soceri potuère preces; nec flammeus ille,
 Qui sponsæ adflavit pectora casta, calor;
 Lethifera indomitæ cis-pellere spicula mortis,
 Fatalem anticipent ne properata diem?
 Ipse ego, cùm primùm vestri mysteria amoris,
 Ad tacitas aures vox benè-fida tulit,
 Talia tùm circum præcordia vota ferebam:
 (Vota suos, cheu! non habitura DEOS,)
 O quàm felici lucent his omine tœdæ,
 Quæ spondent Sponsis gaudia mille novis!
 Fœdus amicitiaë solidum, inter utrumq; Parentem
 Insignem, longo tempore quale stetit:
 Talis amor Sponsis & mutua fœdera sunt,
 Non nisi post canos dissolucunda dies.

Verùm

Verùm, heu, quàm celeres rapiant procul Omina Ventì,
Et spes augurio fallitur ista suo!
Cùm subitò infelix percussit nuncius aurem,
Sponsum immaturâ morte obisse pium;
Quasq; incendebant amor & pia cura Parentum,
In cinerem lapsas jam tepuisse faces.
Flebilis occasus! Quem lugent murmure rauco
Aonides, Venerum concomitante choro,
Et castæ Charites sua fletibus ora rigantes,
Se socias jungunt, Nympha Venusta, Tibi,
Quæ viduata Tuo dulci consorte futuro,
Assiduo genitu faucia corda geris.
Quàm patet hic luctus! Primas antè omnia partes
At Pater infelix vindicat iste sibi,
Qui post tot casus & funera acerba Suorum,
Quæ prius haut siccis pertulit Ipse genis,
Quin etiam magno meritorum pondere fessus,
Queis Patriæ inservit, Principis atq; bono;
Dum studet attritas mentis sarcire ruinas,
Privaq; cum publicis damna levare malis:
Unicum in Hunc Gnatum, per quem velut Ipse revivat,
Collocat extremam spem columenq; suum.
Sed (dolor!) in viridi dum spes jam floret in herbâ,
Hanc festina nimis falx secat unca senis.
Hinc circumfundunt Orbem Patrem atra doloris
Nubila, & æternum pectore vulnus alit.
Talis & Ensiferi quem servat Principis aula,
Hæc Generi Patrio fata dolore dolet.
Sed vos, ò vestri splendentia lumina secli,
Virtute & prisca nobilitate pares;
Quos ut amicitia longos firmata per annos,
Sic sociant luctus vincula dura gravis;

Adpel-

Adpellat Ratio : Non hæc sine Numine Divûm
 Eveniunt, non Fors talia cœca regit.
 Vestra monet virtus exercita sæpè periclis,
 In nullis luctu luxuriare malis.
 Credite, defuncti voluit divina Potestas
 Dilectæ hoc animæ consuluisse modo:
 Nos turba infelix per turbida & aspera rerum
 Volvimur, incerti quid fera fata ferant:
 Vester at æternâ Cœli regione receptus,
 Ne videat tantis deteriora malis,
 Nunc demùm est veris FELICIBUS annumerandus,
 Dulcia perpetuæ fata quietis agens.
 Quin etiam brevis est certusq; adscensus ad Ipsum,
 Sed revocare gradus cura laborq; nequit.
 Ergò valetè pii placidèq; quiescite Manes,
 Vos simul Eximii Mente valetè VIRI.
 Hæc sint erga vos sinceri symbola Honoris,
 Tristis & officii debita signa mei.

Tobias Delhafen à Schöllnbach / D.

Reipubl. Noricæ, utpotè Patriæ

à Consiliis.

IV.

PRINCIPIMUM *humani cursus, MEDIUM, ULTIMA*
sunt hæc,

Nil sumus atq; ORIMUR, VIVIMUS & MORIMUR:

Estq; aliquid, benè ORIRI, sed benè VIVERE, plus est:

At pia MORS tandem paginam utramq; facit.

Quid, FEILITSCHI, igitur juvenem te obiisse dolemus?

Latemur triplici quin mage sorte tuâ:

ORTII

ORTU, (Patre bono satus es) VITA, (integer hujus
Semper eras) OBITU, cœlica Regna capis.

Testandi affectus erga Magnificum
& Nobilissimum Dominum
Parentem &c. scripsi

Johannes Saubertus, Ecclesiæ
Noribergens: ad Div. Laur:
Pastor.

V.

FEILTZIUS, heu! subiit fatum funebre, paratus
Amplius antiquum nobilitare genus:

Stemmatis, in quo olim rarum & mirabile juris

Absq; artis studio, præsidium viguit.

Enthea sic memorant Megalandri scripta Lutheri,

Qui raram hanc laudem sæpius ingeminat.

To. 5. g. Jen.
f. 180.
Tom. 6. fol.
140. &c.

Nunc hujus laudis non degener hæres avitæ,

Proh dolor! (ante annos morte furente) jacet.

ILLE jacet juvenis, pietas cui cuncta Themisq;

Quæ tenet, & virtus largiter attribuit.

Jacturam hanc, simul & dispendia publica, flere

Et Patrem & patriam, quis rigor invidet?

Magne Parens, tibi condoleo! sed disce, quid hoc sit:

Nostra unigeniti morte redempta salus!

Joh. Meelfuhrer, Abbas Heils-
bronnensis, nunc Collegiata
apud Onoldin.

VI.

PESsima sunt verè (quis nescit?) tempora nostra,
Et casum trudit casus acerbipotens.

)(

Publica

Publica non satis est nos damnā capessere passim,
Privatos etiam fata inimica premunt.
Vidisti multas, FEILSCHI generose, ruinas.
Quā patet immensis Teutonis ora plagis,
Et ferro, & flammā devastari oppida, & agros,
Peste, fameq; hominum millia multa mori.
Et dubitet quisquam, te fractum sepè dolore,
Intimiùs tantis ingemuisse malis?
Heu mihi, quid dicam? Quod jam nunc deniq; cernis.
Est omni majus multimodis gemitu.
Expertus loquor: Olim cum mea cara SUSANNA
Natura solvit debita praeperè,
Publica sunt (dixi) ludi, joca, fabula, risus:
Hoc vulnus fracti pectoris ima subit,
Atq; adeò verum est, facunda est cura minuta:
Magna silet, cæcis obruta vorticibus.
Non erro, FEILSCHI, nisi si tibi cornea fibra est,
Ambedit æternus cor tibi molle focus.
Nempè, amissa perit generis spes, atq; columna,
Quæ te, heu! Sed præstet composuisse animum.
Hoc tibi continget, si quo medicamine dudum
Ufus sum felice, utier ipse voles:
A DOMINO factum est, quod filius unicus urna
Mordet: sit DOMINO gloria, laus & honor.
Casp. Hofman, Med. D. & PP.

Altorfl, feci 16. condolens prid.

Cal. Decemb. 1635.

FEILT.

VII.

FEILTSCHIADES magni magnum patris incrementum
 Aulae Marchiacae nobile praesidium
 Occubuit. Sic fama fuit, o nuncia falsi!
 Sed nimis ex vero fama locuta fuit.
 Sic tua testatum modo nobis littera fecit
 AGRICOLA, heu! tristi littera arata manu.
 Dum Patri DRESDAM magnis de rebus agundis
 Misso, Noster, ais, itq; reditq; comes,
 Morte interceptus, terrisq; excedere iussus,
 Debuit in superum se penetrare domos.
 Sed quid conquerimur, si tali sede receptus
 Aeternam gaudet porro quiete frui?
 Heic quoq; non omnis moritur, manet usq; superstes
 Gloria, dictu iterum Fama quis occubuit?
FEILTSCHIADES magni magnum Patris incrementum
 Aulae Marchiacae nobile praesidium.

Altorphi fundeb.

Georgius Naeslerus D. & P. P. Prin-
cipis Palatini & Reip. Norimb.
Medicus.

VIII.

Derivare suos in publica commoda rivus
 Res ut ovae summae laudis, ad astra levat.
 Tale tibi fama decus o vir maxime splendet,
 Claudere quod leti janua nigra cupit,
 Conatus frustra est, virtusq; repagula frangit,
 Majus ab hisce minis nomen in ora venit.

)) (2

Quod

*Quod sol est mundo, merito um luce sub orbe es,
Solem hunc qui poterit contumulare solum?*

F. observant ergo

Ludovicus Jungerman Med D.
P.P. & Botanic Univers. ordin

IX.

S IC ROSA, quæ toto modo fulserat igne comarum,
Pallidulis moritur languida mox foliis;
Ut tibi languentes, FELITSCH, Mors clausit ocellos,
Flos juvenum, ac patrii splendor honosq; soli.
Hei mihi, quod veteres exornant atria ceræ?
Quidvè opibus tantis stat benè fulta domus?
Si generis columen, si lumen dulce parentum,
Teutoniæq; micans si modo stella cadis?
Quid laudum numeros omnesimplèsse? quid omni
Munere fortunæ, dotibus ingenii,
Formosum charitum germen, certasse periclis
Privigno, ô Themidis pulcher ocelle, juvat?
I nunc, Dinomaches, gallinæ filius albæ,
Suffla: Cecropriis Ata future tuis!
Ast hic, qui justum geminâ suspendere lance
Ancipitis libræ noverat ante pilos,
Cujus & incoctum generoso pectus Honesto,
Fulcrum ac spes Patriæ certa ruentis erat;
Nî florentis adhuc juvenilia tempora vitæ
Rupisset sævo pollice Parca ferox.
O spes fallaces, hominumq; improvida vota!
O cuncta infido mobilia mari!
Sicnè runnt hominum vel summa caduciter, & sic
Optima quæq; truci mors sicelice merit?

Nempe

Nempe velut quæ floruerat modò lumine flammæ,
 Mox collapsa leves fax abit in cineres:
 Sic modò fulgentis vanescit gloria vitæ,
 Atraq; conspicias, aurea quæ fuerant.
 At tibi lucidulis transcripto civibus Aethræ,
 Haud tenebræ, haud unquam Mors metuenda dehinc.

*Testandæ συμμαχίας fundebam in languore
 Michael Virdungus Polit. & Histor.
 Prof. in Acad. Norib.*

X.

על- מות וקבורת איש רב העלילה במאד מאד אדיר
 וגבור חיל שמו תורק שמו יחבו הנר'יקוס מן וייל'טש:
 והיא שקולה בשתי תנועות ויתר ושלש תנועות ויתר
 ותנועה: הנכתבה לאביו איש גדול ויקר בו - חורים גבור
 חיל המהלל מאד לאר' בנוס כספרוס מן וייל'טש בקטביץ
 וורכא ושבר' צנבך וא'יסר וגו': ולאמו ורביקאמו מו' ליך
 עטרת לנשים כלו אשת חיל שנכבדה בעדת נשי
 בני גבהים:

אנחה	מחרה שרים	עזרו
ושמחה	אמרות שירו	קזמו
צוחה	דאגות אבי-	נאו
	לבבכם לפני	שפכו
	בעדינו קול	נשמע
	לאבל קול גיל	נחמנו
	בבתינו עם	קינה
	תלו כנור על	אני אני
		כי מת

אלהים:

ערבים:

Nempe

מהרה	שפי תפארת	כי מת
חכודה	לאביו יהיה	מותו
בצרה	תמרה בפיה	אמו
אמונים:	ודמעו אנשי	ספרו
נעוריו	כצוץ שדה ב-	היה
עלליו	גדולים כל-מ-	היו
דרכיו	יקרות על-כל-	ה' אור
רפאים:	לעפר שבאל-	עתה
כבודו	קצר ימים על	אדם
בהודו	כהצור יחיה	אכו
המודו	חלוק בבקר	הוי י-
למורים:	כחץ מו קשת	יברח
באבל	ושרות אמרו	שרים
בתבל	כבוד גבורים	גפל
נחבל	עדת מרעים	חזעק
בקמים:	שאו קול נהי	עורו
בתקוה	לאל כפינו	נפרש
יהוה	תפלה לפני	תבוא
שלוה	לאב מת נפש	יתו
ושרים:	לאמו שלות	ישלח
מצוקה	כמזני הם שק	יפתח
אנקה	יהדיו יסור	מראש
אנקה	ברורו את-קול	ישבית
מרעים:	לבבים מסוד	ישמור
תהלה	אלהים קום אל	טור נא
תפלה	ובצרה קול	לשמו-
קהלה	לך תמיד ב-	נודה
גביהים:	שמך על-כל-	גדול

שרתי בחפדי וברכ שרעפי
 בקרבי אני השופל והצער:

M. Daniel Schwenterus Professor
 Altorphinus & P. C.



XI.

EPICEDION.

Nulla quòd humanis insit constantia rebus,
 Longius & vigeant deteriora bonis,
 Nobilis exemplo est FEILITSCHIUS, una parentum
 Gloria, & illustris spes columenq; domus.
 Qui, si mentis opes Parcas fortisq; moverent,
 Vincere Mathusala secula dignus erat.
 Nam logicas puer, ingenuis cum moribus, artes
 In Patria didicit sedulus usq; Schola;
 Nec tantum Latinam studuit cognoscere linguam,
 Verum etiam Argolici verba rotunda soni.
 Felices animas, quibus est didicisse voluptas,
 Quæ sibi vulgus iners dedecori esse putat!
 Post novus ignotas hospes digressus in oras,
 Imbibit ardenti pectore dulce Sophos,
 Quà populosa sacris dat sedem Lipsia Musis,
 Et quà Rhenigonas Ellus adauget aquas.
 Ast ubi jam studiis satis, inventisq; Sophorum,
 Temporis, & curæ credidit esse datum,
 Astrææ subiit cælum, ductrice Themiste,
 Sciret ut in quovis fasq; nefasq; loco.
 Quicquid enim geritur totò, vel dicitur, orbe,
 Id grave sub leges jus vocat omne suas.
 Hinc varios hominum mores visurus, & urbes,
 Per mare, per terras, per juga fecit iter,

Ac



Ac vafros Italos adiit, Gallosq̄ feroces.
Et gentis didicit linguã utriusq̄ loqui.
Tum penitus totò divisos orbe Britannos,
Et populos visit, Belgica terra, tuos.
Utile nimirum est peregrinas visere terras,
Si, quæ sunt memori mente tenenda, notes,
Factus ut exemplis aliorum cautior, olim
Quæ fugienda tibi, quæve sequenda, scias,
Redditus ergò suis, magnum & memorabile nomen
Inter honoratos cæpit habere viros,
Et patriæ prodesse suæ, domuiq̄ paternæ
Arte, piò studio, sedulitate, fide.
Quàm prudens fuerit, testatur Principis aula
ENSIFERI, patrem quò comitatus erat.
Hei mihi, quàm fallax hominum est, & lubrica vita!
Quamq̄ raunt subito, quæ valitura putes!
En! ipso in reditu, dum cogitat ille puellam
Desponsam thalami jungere lege sibi,
Spem præter, morbò nimium infestatus acutò
Exstinctus placidã morte reliquit humum,
Vix ubi viginti septem compleverat annos:
Tàm citò, tàm rarum mors tulit atra bonum!
At veluti vivens Christo constanter adhesit:
Deseruit terras sic pietate pari.
Non dubium est igitur, quin jam novus incolæ cœli
Angelicos inter vivat ovetq̄ choros.

Sat

Sat vixit, benè qui vixit, moriturq; beatus

In servatoris cognitione sui.

Non etenim vita hæc meritò est longæva putanda,

Cui geminant letos sospita fata dies:

Sed quàm commendat virtus, prudentia reram,

Et pietas, cunctis anteferenda bonis.

Hæc, Heros Generose, tuo sub pectore volvens,

Cælitus impositum fer patienter onus.

Subditus esto Deo, finemq; impone dolori;

Idq; à te fieri, filius ipse petit.

Sic tibi longæva placidissima tempora vitæ

Propitiū tribuat gratia larga DEI!

Affectus testandi causa F.

M. Jacobus Tydæus in Univer-
sitate Altdorphina P.P.

XII.

Ergò tuis oculis liquisti lumina FEILTZSCHT,

Linquere qui nunquam lumina dignuseras?

Strennua nec virtus heroi pectoris altrix

Evicit tantum, ditis ut umbra domos

Serior intrares? Ah non! Lex publica dicta est:

Illa semel nasci nos jubet, illa mori.

Ut sua cuiq; dies venit, subitò ire necesse est,

Sive seni, juveni sive, ubi fata vocant.

Scilicet hospitium terra est, non propria sedes,

Vitaq; mancipium non erit, usus erit.

)()(

In

Sat

In coelo patria est; coelum te poscimus omnes,
Nulla salus terris, sed diuturna polo.

M. Johann Nicolaus Schüller, Pastor
& Decanus Ecclesia Lehrbergensis,

XIII.

Sic rerum invertitur Ordo!

Sic ARS eluditur ATE!

CONSULE Nasonem, Fastorum te ordo docebit,
Quae dedit APRILI nomen origo suum.
Quasi Aperilis enim, idq; ab aperto tempore, fertur
Dici, apto nomen omine nec careat.
Hybernus terram sterilem quam reddidit horror,
Concipere ut possit semina, ab Hocce capit,
Concipere ut possit, conceptaq; reddere in auras,
Quin sine seminibus res generare datis.
Hinc nitor ille novus faciem telluris adornat
Hoc mense, arboribus hinc redit almus honor,
Ut MAIUS pictus possit tot floribus esse,
Acceptum APRILI (preparat ille) refert.
Legibus ex certis Natura sicq; decebat
Perpetuas fieri, tempore eunte, vices:
Ast aliud Generi FEILTZSCHORUM contigit, ordine
Inverso, lacrymas cui fera PARCA ciet;
APRILIS terram apperuit; floresne daturam?
Immo rapturam qui viguere prius!
Hortus FEILTZSGHIADUM fuerit quo Flore coruscans
Nuper, quis nescit? Flos tamen ille perit!
Hunc ad aperta (manus PARCAE demessuit ante.)
Tellus absorptum gutture hiante tenet!
Floruit ab! fructus jamq; ostendebat amanos,
Hortum qui poterant excoluisse novum!

P. 111

Purpureum sed succisus demisit verticem!

Horti sic fecit spem cecidisse novam!

Invidiam ó PARCÆ, Noxarum ATESque Parentis!

Vertunt, eludunt, quæ benè capta brevi!

Actum ergò est! actum est? hoc clamitet inscia turba

Scriptura, Mortem tollere cuncta putans;

Christicolis aliud firmat præcordia robur,

Robur, quod verbi pagina sacra parit.

FLOS hic conditus est tantum, haut sublatus; ab Euro,

Qui nos nunc agitat, tutus ut esse queat.

Adveniet sed enim APRILIS jucundior olim,

Terra adaperitur, quæ patet illa, sinum;

Innumeris Noster Florum cum millibus, auræ

Vitæ tunc haustâ FLOS redivivus erit!

FLOS redivivus erit Noster; Majoq; fruetur

Perpetuo: Hæc foveat spes modò certa PATREM.

Venceslaus Erdreich / Suticio - Boh.

L. L. Studios: p. t. L. Baron: de
Herberstein Ephor. Altorphi.

XIV.

Nobilitas, virtus, Musarum gratia, & omnis
Martis qui viguit laude togæq; decor

Si mortalis erat, næ tu mors pessima multum,

Illustre hoc germen dum rapis ecce, rapis.

Hic pietatis honos ergò est? hæc præmia veræ

Ingenium & studium Nobilitatis habet?

Abfit! quod mortale fuit mors pallida tantum

Diripuit, mortis cætera victor ovat,

Victor ovat. Verùm quæ digna brabeia negasset

Mundus, multoties cælica regna dabunt.

)()(2

ALIUD.

ALIUD.

M Archia mœstitiæ & luctus plenissima, & isthæc
 Materies lacrymis defuit ergò tuis?
 Luge, nemo tibi luctum invidet, hoc tibi verò
 Prò dolor invidit mors truculenta decus!
 Scilicet, heu vivi pervenimus, illa virorum
 Lumina ubi Eclipsin sunt subitura truce!
 Luge igitur, sed te, non hunc, quem tristia fata
 Connumerant magnis, dum rapuère, viris.

*Serio condolentiæ & mœstitiæ
 affectu fundebat*

M. Abdias Trew, Ludi Onoldini
 p. t. Rector.

XV.

N On poterat solido magis acrem illidere dentem
 Aut fodicare gravis pectora magna dolor,
 Quàm dum FEILTZSCHIADEN (vel solo nomine nòrunt,
 Qui nòrunt amplum nobilitate decus.)
 FEILTZSCHIADEN, inquam, omnigenæ virtutis alumnus,
 Spem patriæ, magni deliciasq; Patris;
 FEILTZSCHIADEN florem pietatis, & omnium amorem,
 Verus quem ornabat nobilitatis honor:
 FEILTZSCHIADEN talem dum Mors demessuit atra,
 Magnorum abrumpens gaudia multa virum.
 Improbamors! MALÈ quis non FACTUM incuset? & orbi
 Invisum patrio non fleat usq; bonum?
 Quis queat, ingeminent gemitus quin corde, teneri?
 Quis vé neget querulos trudere ab ore sonos?
 Sed tamen hæc inter suspiria digna, quid aures
 Audio nam vocis dulce ferire meas?

Optima

Optima mors, hujus quæ vitæ pessima finit

Sedibus æthereisq; optima prima locat.

Optima mors, miseros numero sine mille periculis

Quærapit, eiq; SOLO vivere digna POLO.

debitæ condolentiæ testandæ

ergò deproperabat

M. Christophorus Meelführerus, Con-
Rektor ludi Onoldini, ibidemq; Mini-
sterii Ecclesiastici Adjunctus.

XVI.

Sunt homines mortale genus, sunt pulvis & umbra,
Quod docet ipse DEUS, quod docet ipse dies.

Fert hominem dius mutari pulvere sermo:

Plurima dat nobis funera quisq; dies.

Non amor Aonidum, non clarum, nomen avorum,

Non robur magnum, non bona arena Tagi,

Non vidisse urbes, non oppida disita longè,

Excutiunt gelidæ spicula certa necis.

Exuvia monstrant hoc, Jane, tuæ: absq; dolore

Quas non condunt, qui te genuère, gravi.

Gloria non Sophiæ modò, sed præstantia multis

Carum virtutis te dedit omnigenæ.

At non speratâ succumbis morte peremptus:

O dolor! ò lachrymæ, tristitiæq; satis!

Sed quid? mæstitiæ sit finis: corpus in urnâ

Decumbit placidè: molliter ossa jacent.

)()()()

Pars

*Pars vero ad cœtum potior delata beatum
Cum sanctis verè gaudia sancta capit.*

Condolentiæ ergo
faciebat

Georgius Leonhartus Ren-
ner, Pastor Birglaviensis
Ecclesiæ ad monasterium
Heilsbronnense pertinen-
tis.

XVII.

O Ter-quadrata Triados sapientia, Consi
Nectar, & aurifluæ doctior ôcle Dices,
Marchidos Aulai FEILITZSCHI nobilis Atlas,
Quid defles Gnati funera magna tui?
Noli flere, juvant lacrumæ nîl, nîlq; querellæ,
Atropos in cunctos jus habet atra. Tui
In laudeis irem, si mî cordata sinapis
Effet, at in cassum, verbula trina loquar;
FEILTZSCHIADES, Charitum Famæq; fa-
melicus, Eicon
Aonidum, Themidos flos generosus erat.
Ipfus erat, perpol! sed erat (quàm flebile dictu.)
Tempora qui Pilij vivere dignus erat.
Liberiore sono dic gens cicnèa per orbem:
FEILTZSCHIVS obcubuit, FEILTZSCHIVS
astra petit.

Adlo.

Adlocutio

Nobilissimi Dni defuncti

Ad

MOESTISS. DN. PARENTIS

Generosam Nobilitatem.

Fata manent omnibus, nec parcat Morta Ju-
ventæ;

Ah dolor! Ah gemitus! Desine flere Pa-
rens;

Desine flere Parens, de nostris desine fatis;

En, ego Divorum sede receptus ovo!

Tumulus.

Marmoris hac situs est FEILZSCH I sub
FILIIUS umbra;

Reliqua dicet anus Fama, viator.

Have!

*Συμπαιθείας & deb. obed. E. depro-
perab. Onoldi.*

X. KLD. Xbr. Jul. A. S. H,

cIo. Io c. XXXV.

Jacobus Boscecerus, Francus.

XVIII.

Filius ad Parentes,

Quid tantis oneras, Genitor, tua pectora curis?

O ter amande Parens, quid mea fata gemis?

Mene

*Mene doles saluum cœlesti sede receptum?
Mene doles vitâ prosperiore frui?
Siste tuas lachrymas, non est revocabilis istis,
Quem semel ad bustum mors properata tulit.
Tu quoq; quid Genetrix cumulas mea fata querelis?
Cum D.E.U.S arbitrio dirigat ista suo.
Quin cum Patre, mihi vitam gratare perennem,
Est ubi vera quies, est ubi vera salus.
Vidimus avulsos hoc nostro tempore multos,
Vidimus egregios occubuisse viros.
Quæ, nisi me fallunt sensus, sunt omnia pœna,
Quæ premet incautos vos gravis ira D.E.I.
Quos ergò summo D.E.U.S est complexus amore,
Abripit, & juvenes in sua regna vocat.
Vita mihi melior quæsita est munere Christi:
At vos in terris damna, pericla manent.*

*Debitæ observantiæ & condolen-
tiæ ergò apposuit,*

*Josephus Rösch, Scholæ
Onoldinæ Cantor.*

XIX.

**MEMORIÆ JOHANNIS HEINRICI
à FEILITZSCH.**

JANE-HENRICE decus FEILTZSCHORUM
nobile, fati
Quid juvenis rigidâ lege solutus obis?

Me

Me DEUS è mundi, Genitor perchare, tumultu
Jam rapuit, lacrymas comprime quaeso
Pater.

Hoc dictu facile est: Sed quis sine funera fletu
Nati à se mittat, sanè homo rarus erit.

FEILTZSCHUS haud senior poterit, quem fa-
ma celebrem,

Quem virtus magnum, quem facit aula
gravem.

Angit nati obitus, de quo spes magna, Parentem:

Hoc mage, quod longum vivere dignus erat.

Innocuus vixit, nulli gravis, omnibus æquus,

Ante annos animum, magnaq; corda gerens.

Signaq; plura dedit patriæ virtutis, ut illam

Consilio æquaret, moribus, arte, fide.

Sed quæ restabant majora in rebus agendis,

Heu dolor, illa dies abstulit una Patri,

Ergò homo dum sano tibi sunt in corpore

vires,

Quæ tibi promittis tempora? Disce mori.

Vita est instabilis, nec constans, plena laborum:

Hæc perit, ut prati flos cadit, umbra fugit.

Contestanda condolentia & debita

observantia ergò fac:

*Johan Georg Negelein / Scho-
la Onoldinae collaborator.*

) () () (

ANA-

XX.

ANAGRAMMATA BINA:

Quorum

I.

Solatio Patriarchico erigitur

Parens maestissimus:

Der Wol Edle / Be-

strenge vnd Veste Herz Urban Caspar

von Feilitzsch / vff Kürbitz / Förbau / vnd Schwer-

kembach an der Saal / Fürstlich: Brandemb:

Geheimbder Rath / Cankler / vnd

Ob: Lehen Richter:

(Mit versehenen Buchstaben: ii / zertheilt in zwey i / iz

B. für ein P. cum licentia Poët:)

EX GENES. XXII. vers. 2.

O Abraham! nimb Isaac deinen Einig-

gen Sohn / den du lieb hast / vnd opfferre

Ihn daselbst zum Branttopffer auff einem

Berg / den ICH dir zeigen werde.

Zur

Zur Christlicher Wohlöblicher Ehrengedächtnuß.

Haët. Anagram. vernaculum

D'elaboration folgt per Occasionem:

In desß wird Herr Patron die applicationem
Vff sich vnd seinen Sohn / Wolsee. machen schon.

Ex Parallelis.

Esa. 57. v. 1, 2, 3. Matth. 3. v. 9. Luc. 3. v. 9.

Rom. 4. v. 18. Hebr. 11. v. 12.

II.

*Trophæo Zyonicæ mactatur Natus-Dē-
natus, Heros beatissimus.*

JOANNES HEINRICUS à FEILIZCH.

AH SENIS UNICE-CHARE FILI! ZION.

Sæpè solet vulgus non-verum dicere verbum:

Quid iuvat Heroum-natos malè vivere noxas?

Quid iuvat Hispanum, Gallum, Anglum, Ita-

lumq; videre?

Quid callère polumq;, solumq;, tholumq;, do-

lumq;?

Quid montes, pontes, fontes, per saxa, per

undas

Lustrare? At Zyonis gente cacumen, acumen

Mente coæquare, & lumen superare Cometæ?

) () () (2

Id

Id juvat. Herois CHARE AH! SENIS UNI-
CE FILI!

Te juvat haud Helicon, Parnassus, Pindus,
Olympus:

Aut Morja, aut Sinai, Thabor, Horeb, Carmel
& Hermon,

„ Sed Paradyfiacum juvat in ZYONE Hebr. 12.
v. 22, 23
24.
Theatrum

„ Scandere, Viventis per Civica Jura JE-
HOVAE,

„ Atq; Hierosolyman coelestem: & in agmi-
ne turbam

„ Angelico innumeram: Coetum Primogeni-
torum,

„ Qui sunt conscripti in caelo: o Perfectio
Justa!

„ Ad Mediatoris Nova Foedera Testamenti,

„ Sanguinis adpersu meliora loquentis,
Abele.

Hic, hic Heroum-natis habitacula beatis!

FEILTZSCHIIUS hic HEROS gaudet bene
vivere Caeli,

Quem Patriarcharum mensa, quem Triga
sedili

Dignata est Abraham, Isaac, Jacobq; fruisi.
Sic

Sic, sic Heroum minimè sunt Pignora noxæ!
Ergò solet Vulgus non-verum effundere
verbum.

Condolentis observantia
ergò
F.

J. Laurent. Schröderus, Pa-
stor Schallhus: p, t Lycæi O-
noldini Hypodidasalus.

XI.

Duackr Hansz Heinrich / meins lebens trewe
Kron /

Weiland mein Hertz / vnd recht einige Wohn /
Solt ich Ewer nicht ehrlich gedencen /

Vnd zur letzt sehnliche Worte schencken ?

In euch ist gewesen die waar Gottseligkeit /

Euch hat geführt die recht Aufrichtigkeit /

Die freyen Kunst vnd Ad'liche Weisheit

Regiert ew'r Hertz vnd G'müth zu aller Zeit.

Mit mir sah't ihr / als ein getreuer Herr /

Viel frembde Land: kein Weg war vns zu fern /

Die GOTTES Gnad bracht Euch nach Haus

wied'rumb /

Ohn all ew'rs Leibs vnd Hertzens Verletzung.

XXXX iij

Ew'rn

Er'n Ablich'n Eltern höchlich thets g'fallen/
Die Euch liebten herzlich vnd üb'r allem.
Euch hielt ich klar / rund von mir sage ich/
Meines künfftigen Zustands Zuversicht.
Ab'r ach / der geschwind / unverhofft Todt:
Wie bald macht er meine Hoffnung zu Spot!
Drumb ich von herzen Klag: Die Seeligkeit
Doch habt Ihr nun in alle Ewigkeit

Johan Staudt / des seelig ver-
storbenen Junckers weiland auff
den Univerſitäten vnd in frem-
den Landen Sechsjährigen ge-
wesener Diener / anhero Fürstl.
Brandenb. KornSchreiber im
Closter Heilsbronn.

E N D E.



Sic
Eg

ot!

ver
auff
em
ge
rftl
im

o

n

o

o

o

o





ORA
DeGenero
JOHANNI

Generosum
dum & N

URBA
à Feilitzsch, in K
Consiliarium
atq; Præt
cum,

Christoph
rato, Com

Subiecta sunt

Typis excusa

Sang VInls effV

IS. 11
Domini
L Itsch, &c

admo-
um

RUM
sch, & Isar,
n, juxtà
irgi-

ite Au-
liario

irorum,

erum.

e DeXtras.

